menti absolventis concordent, non est necesse, quòd exprimant totum, quod intendit; sed sufficit, quòd non exprimant, seu significent aliud, quàm quod intendit: in casu autèm non significant aliud, quàm quod intendit, quia non significant sacramentalitèr, & practicè, nisi ut subsunt intentioni absolventis.

Petes 2. Utrùm intentio errans perficiat Sacramentum: v. gr. Minister putat baptizare masculum, & est fœmina, vel baptizare filium Petri, & est filius Joannis? R. Si intentio Ministri feratur ad præsentem, quicumque sit, ut solet, & debet esse, validum est Sacramentum, excepto Matrimonio. Patet, quia adest sufficiens intentio. Si tamèn Minister ita restringeret suam intentionem, ut non intenderet baptizare, nisi hunc in individuo masculum, & non alium, & esset puella, nihil perficeret defectu intentionis. Dixi: *Excepto matrimonio*; quia, cum Matrimonium sit contractus consistens in traditione, & acceptatione corporum in individuo, error circà personam est error circà substantiam rei, & ideò irritat contractum.

Petes 3. Utrùm ad integritatem Sacramenti requiratur attentio tàm in ministrante, quàm in suscipiente? R. Negativè, excepta fortè Extrema-Unctione: quia neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex definitionibus Pontificum, neque ex Patribus erui potest necessitas attentionis tàm in Ministro, quàm in suscipiente ad perfectionem Sacramenti. Undè ministrans, aut suscipiens voluntariè distractus validè ministrat, aut recipit: peccat tamèn proptèr irreverentiam factam Sacramento; etiam mortalitèr, si sit contemptus, aut periculum errandi in forma, vel materia. Dixi: *Excepta fortè Extrema-Unctione*: quia, cùm ejus forma sit deprecativa, & ad orationem requiratur attentio, ut alibi docuimus, quidam volunt, quòd Minister voluntariè distractus non oraret, adeòque Sacramentum non conficeret: quod tamèn alii negant, dicentes formam hujus Sacramenti non esse orationem, ut est opus operantis, sed ut est Sacramentalis.

DIGRESSIO HISTORICA

De Controversia inter S. Stephanum Papam, & S. Cyprianum circà Baptisma Hæreticorum.

Ad Art. 3. Dissert. præcedentis.

SUppono 1. plures fuisse Hæreticos, qui ab aliis Sectis, & etiam a Catholicis baptizatos rebaptizabant. Hi fuerunt Himerobaptistæ, Cœlicolæ; de quibus in Cod. Theodos. Tit. 8. Marcionitæ, & Montanistæ apùd Epiphanium hæresi 42. Donatistæ, quos multis libris exagitavit Augustinus; Ariani, de quibus idem Aug. hæresi 49. Et tandèm Anabaptistæ. Suppono 2. inter Catholicos Agrippinum Episcopum Cartaginensem primum dogmatizasse, rebaptizandos esse ab Hæreticis baptizatos. Ità constat ex Cypriano Ep. 71. ad Quintum, & Ep. 73. ad Jubajanum: ex Aug. libr. de Baptismo ad Bonifac. c. ultimo, & alibi: & ex Vincentio Lirin. in Commonit. n. 9. ubi hæc habet: *Quondàm agitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium contrà divinum Canonem, contrà universalis Ecclesiæ regulam, contrà sensum omnium Consacerdotum, contra morem, & instituta majorum, rebaptizandos censebat.* Quidam autumant, Tertullianum Agrippino præivisse, sed obscura sunt Tertulliani verba. Suppono 3. S. Cyprianum, Agrippini Successorem non immediatum, & Firmilianum Episcopum Cæsarcensem cum pluribus Orientis, & Africæ Episcopis circà medium tertii sæculi, Agrippini sententiam secutos, reverà censuisse, & propugnasse baptizatos ab Hæreticis esse rebaptizandos. Hanc suppositionem ut minùs veram contra unanimem Theologorum sensum impugnare aggressus est nuperus Scriptor Raymundus Massorius Ord. Minorum Conventualium.

Verùm quantùm ad Firmilianum constat 1. ex ejus Ep. inter Cyprianicas 75. quæ, quamvis desideratur in Editione Manutiana, reperitur tamèn in omnibus aliis Editionibus, & in vetustissimis codicibus, adeòque immeritò rejicitur ut supposititia a laudato Auctore. 2. Constat ex Dionysio Alex. Apud Euseb. libr. 7. Hist. Eccles. c. 5. 3. Ex S. Basilio Ep. *1.* ad Amphilochium. Quantùm ad S. Cyprianum paritèr constat ex Eusebio libr. 7. Hist. Eccles. c. 5. ex Basilio priùs citato, ex S. Hieron. adversùs Luciferianos, ex Aug. qui in libris contr. Donat. passim laudat Epistolas Cypriani ad Quintum, ad Pompejum, ad Jubajanum, ad Magnum, & ad Stephanum, easque ut genuinas recipit.

Opponit recens Scriptor, Augustinum aliquandò dubitasse, àn istæ Epistolæ essent Cypriani, àn non potiùs a Donatistis confictæ, ut libr. 1. contra Crescon. c. 32. libr. 2. c. 31. Ep. 93. aliàs 48. ad Vincentium Rogatistam, & 108. aliàs 256. ad Macrob. ideòque disputationem ejus contra Donatistas fuisse hypotheticam: scilicèt, facta hypothesi Cyprianum reverà has scripsisse litteras, Augustinus ex illis arguit Donatistas, quod ob rebaptismum a communione Ecclesiæ defecerint, cùm in Litteris Cypriano tributis unitas Ecclesiæ maximè commendaretur. R. Augustinum non tàm suam, quàm quorumdam dubitationem referre, aut si suam, adeò tenus est, ut hypothetico systemati stabiliendo, non sufficiat. Quod patet 1. quia Ep. laudata ad Vincentium postquam dixit: *Quanquàm non desint, qui hoc Cyprianum prorsùs non sensisse contendant*; addit: *Nos tamèn non negamus, illud sensisse Cyprianum.* Et libr. 6. de Bapt. c. 51. loquens de Epistola Cypriani ad Stephanum dicit: *Nàm & ipsam in isto cœtu Consacerdotum lectam esse dixit: quod factum omninò non dubito.* 2. quia in Epistola cit. ad Vincentium probat duplici momento, has Epistolas esse Cypriani; tùm ob styli similitudinem cum aliis scriptis Cypriani; tùm quia in his maximè commendat Ecclesiæ unitatem, nec vult quemquam alitèr sentientem a communione removeri. *Neminem judicantes*, inquit, *aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes*, apùd Aug. libr. 2. de Baptismo c. 6. quod est aperta damnatio Donatistarum, qui a Catholicis ricipientibus baptisma Hæreticorum tanquàm ab immundis se separaverant. Porrò, si ex Epistolis Cypriani damnantur Donatistæ, quomodò a Donatistis fabricatæ dici possunt, ut fingit recens Criticus? 3. In libris de Baptismo Aug. urget passim Epistolas Cypriani tanquàm germanas, nullum dubitationis indicium proferens. 4. Aug. excusans errorem Cypriani non dicit eas ipsi immeritò affingi, quod peremptorium fuisset pro justificatione Cypriani, nec omisisset Aug. si ità res esset, sed dicit, vel Deum hanc ei veritatem non aparuisse, vel nondùm in Concilio plenario tùnc fuisse eliquatam; aut ipsi non satis innotuisse universalem Ecclesiæ consuetudinem, vel hanc labem luce charitatis, & falce Martyrii eluisse. Hujus nostræ suppositionis veritatem eruditissimus Scriptor Laurentius Berti Augustinianus adversùs novum ejus impugnatorem lato, & docto calamo propugnat libr. 31. c. 13. a quo hæc pauca delibavimus.

His itaquè suppositis, plures quæstiones facti de ista concertatione inter Stephanum, & Cyprianum, cæterosque tùm Africæ, cùm Orientis Episcopocos, ipsi consentientes, controvertuntur inter eruditos. 1. Utrùm Cyprianus cum aliis Episcopis sibi consentientibus hanc de Baptismo hæreticorum iterando quæstionem ad fidem, vel ad disciplinam tantùm pertinere existimaverit? Et utrùm S. Stephanus illam ex Cathedra tanquàm de fide definierit? 2. An Stephanus Cyprianum, Firmilianum, & alios ejusdem sententiæ de facto excommunicaverit, àn tantùm excommunicare minatus fuerit? 3. An Cyprianus, & Firmilianus errorem deposuerint? 4. An hi & cæteri rebaptizantes ab omni culpa excusari possint? 5. An ipse Stephanus in errorem oppositum de non rebaptizandis ullis hæreticis lapsus fuerit? 6. An sint alii Patres, qui sententiæ rebaptizantium adhæserunt? 7. Tandèm, quodnam sit istud Concilium plenarium, a quo totiès S. Aug. contra Donatistas dicit, definitam fuisse hanc de non rebaptizandis hæreticis controversiam? quas omnes quæstiones Sectionibus sequentibus expendemus.

SECTIO I.

Utrùm Cyprianus, & ejus Collegæ existimaverint, controversiam de Baptismo ad fidem pertinere, eamque ut talem definiverit Stephanus?

DIco 2. Cyprianus cum Collegis sibi consentientibus non existimavit, controversiam de Baptismo Hæreticorum pertinere ad fidem, sed ad disciplinam tantùm. Prob. 1. Id pertinet ad disciplinam tantùm, & non ad fidem, quod unicuique liberum est credere, & cujus est diversa, & libera praxis inter Catholicos, salvo vinculo pacis; atqui controversiam de Baptismo Hæreticorum talem existimavit Cyprianus cum suis Collegis: ergo. Maj. patet, quia circà ea, quæ sunt fidei non est libertas, sed ea credere, & agere omnes tenentur; una enim fides, quamvis possit esse diversa disciplina. Prob. Min. Cyprianus in Ep. ad Stephanum ait: *Cæterùm scimus, quoniàm quod semèl imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facilè mutare, sed, salvo inter Collegas pacis, & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apùd se simùl sint usurpata, retinere: qua in re, nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium unusquisque Præpositus, rationem actûs sui Domino redditurus.* In Ep. ad Jubajanum: *Hæc tibi brevitèr*, inquit, *pro nostra mediocritate recripsimus nemini præscribentes, aut præjudicantes, quominùs unusquisque Episcoporum, quod putaverit, faciat, habens arbitrii sui liberam facultatem.* Et in præfatione Concil. Carthag. ubi aderant 87. Episcopi dicit: *Superest, ut de hac ipsa re singuli, quod sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, removentes.*

Respondent quidam, S. Cyprianum præ humilitate noluisse alicui legem imponere; quia quæstio, quamvis eam crederet

esse fidei, non erat tamèn satis discussa, & eliquata, sed ità obscura, ut cuique in re nondùm universalis Ecclesiæ judicio definita, liberum esset sentire quid vellet. Sed contrà 1. Cyprianus dicit, Episcopos habere libertatem sentiendi, & faciendi, quidquid libuerit *In administratione Ecclesiæ*, & ea retinere, salvo concordiæ vinculo, quæ *usu sunt usurpata.* Hæc profectò non fidem, sed meram disciplinam spectant. 2. S. Cyprianus suam sententiam de rebaptizandis Hæreticis reputabant dubiam, vel certam: si dubiam, quomodò sanctissimus, & humillimus Antistes in re sibi dubia tam mordaci stylo contrariam sententiam, & Rescriptum Stephani Papæ lacerabat? Si certam, quomodò vir prudens consultus in re sibi certa, ad fidem pertinente, potuisset respondere unicuique liberum esse sentire, & tenere quod vellet? Potuissetne Athanasius ante Concilium Nicænum dicere, liberum esse Arianis sentire, quæ vellent de consubstantialitate Verbi, Cyrillus Nestorianis de Divinitate Christi antè Concil. Ephesinum?

Prob. 2. S. Cyprianus admittit, baptizatos ab Hæreticis, qui absquè rebaptismo in communione Eccesiæ admissi moriuntur, posse salvari: ergo non existimabat, rebaptismum ad fidem pertinere. Prob. Ant. ex Aug. 2. de Bapt. contra Donatistas c. 13. ubi de Cypriano loquens dicit: *Sed, cum arbitraretur eos, qui extra Ecclesiæ communionem baptizarentur, Baptismum non habere, credidit eos tamèn in Ecclesiam simplicitèr admissos, propter ipsius unitatis vinculum, posse ad veniam pervenire.* Idque probat ex ipsius Cypriani Ep. ad Jubajanum, in qua dicit: *Sed dicet aliquis, quid ergo de his, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordiæ suæ indulgentiam dare, & eos, qui in Ecclesiam simplicitèr admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare.*

Prob. 3. Firmilianus in Ep. ad Cyprianum proscindens Rescriptum Stephani, & volens probare eum injustè comminatum fuisse excommunicationem contra rebaptizantes, dicit: apud Romanos *circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta esse aliquas diversitates, nec observari illic æqualitèr omnia, quæ Hierosolymis observantur: secundum quod in cæteris quoquè plurimis Provinciis multa pro locorum, & nominum diversitate variantur: nec tamèn propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est*: ergo juxta Firmilianum, sicùt controversia de die Paschatis, & diversitas rituum in Sacramentis pertinent ad solam disciplinam, ita & rebaptizatio tùnc temporis credebatur ad meram disciplinam pertinere.

Prob. 4. Ex S. Basilio, qui, cùm esset ejusdem sententiæ cum Cypriano, in Ep. ad Amphilochium dicit: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omninò visum est propter multorum œconomiam, & dispensationem eorum baptisma suscipi, suscipiatur.* Et infrà de Encratis: *Quod hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursùs consuetudine utendum est, & sequi oportet Patres, qui quæ quoad nos pertinent, providerunt.*

Prob. 5. Ex Aug. qui l. 2. de Baptismo contra Donat. c. *9.* dicit, in hac quæstione actum esse de consuetudine, & solam consuetudinem Cypriano objectam esse; cui, cum non esset recepta in Africa. nec esse universalis Ecclesiæ ipsi innotuerat, resistebat: *Consuetudinis roborè*, inquit, *tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Et infrà: *Hanc autèm fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ posteà, multis discussis ambagibus, perspecta veritate, plenario Concilio confirmata est.* Insupèr Aug. ibid. c. 3. agens de opinione S. Cypriani, ad ipsum excusandum dicit: *Concilia plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperiretur, quod clausum erat.* Palàm est, Aug. loqui de rebus non ad fidem, sed disciplinam spectantibus, cùm in rebus fidei Concilia plenaria sint irreformabilia.

Obj. S. Cyprianus exponit sententiam suam de rebaptizandis baptizatis ab Hæreticis, tanquàm pertinentem ad fidem: 1. Quia Ep. ad Jubajanum dicit, a Christo non esse datam Hæreticis potestatem baptizandi: de fide est autèm eum non posse baptizare, qui non habet a Christo potestatem baptizandi. 2. Ibid. dicit, in baptismate esse originem fidei, & spem salutis. 3. Ibid. eadem fide credit, nullum esse Sacramentum ab Hæreticis collatum, qua credit unum esse Deum, unam fidem, unam Ecclesiam: ergo. R. *1.* Communi solutione ad totum argumentum, familiare esse his, qui opinionem aliquam tenent in re Theologica, eam probare ex Scripturis; quæ autèm proferunt ex Scripturis, sunt quidèm fidei, at non ideò consequentia, quam indè inferunt. Sic Asiatici probabant suam opinionem de celebrando Paschate Luna 14. in quamcumque diem incideret ex testimoniis veteris, & novi Testamenti, & tamèn omnium consensu hæc controversia non spectabat fidem, sed disciplinam. Ut autèm certiùs dignoscatur, quæ sit mens eorum, qui disputant, magis attendenda est eorum praxis, quàm speculatio; si enim, non obstante dissidio speculationis, censeant, cuique liberum esse sentire quid velit, & non obstante diversa praxi, servent ejusdem communionis vinculum, manifestum est eos existimare suum dissidium spectare disciplinam, & non fidem, ut patet in Quarto-decimanis. Cyprianus itaque, & ejus collegæ multa proferebant ex Scripturis, ut probarent disciplinam suam, non quidèm revelatam esse, & esse fidei, sicùt revelatum est, & est fidei esse unum Deum, unam fidem, Hæreticos non habere Spiritum S. &c. sed esse fidei conformiorem, & tenendam: sicque momenta probationum reputabant fidei, sicùt ab omnibus reputantur, ad non res his probatas, seu conclusionem illatam. Itaquè R. 2. ad singula. Ad 1. est quidèm de fide, quod, qui non non habet potestem baptizandi, non possit baptizare; at non dicit Cyprianus, esse de fide Hæreticos non habere potestatem baptizandi. Ad 2. similitèr dicit, Baptismum esse originem fidei, & spem salutis, at non dicit, controversiam baptismatis esse originem fidei, & spem salutis. Ad 3. N. Ant. Equidèm Cyprianus ex eo, quod non sit fides, & Ecclesia apùd Hæriticos, inferebat non esse apùd eos Baptisma; sed illationem non habeat ità certam de fide, sicùt habeat non esse apud Hæreticos veram fidem, & veram Ecclesiam.

Inst. Cyprianus Ep. ad Pompeium 74. vocat opinionem Stephani errorem. Ep. cit. ad Jubajanum dicit, suam sententiam esse a Spiritu S. revelatam, esse fidem, & veritatem Ecclesiæ: ergo. R. ad 1. Cyprianus vocat sententiam Stephani errorem, sed non contra fidem: non enim hoc ipso quo aliquid est verum, ejus contrarium est hæreticum. Ad 2. D. ut antè: Dicit, suam sententiam esse revelatam, esse fidem Ecclesiæ formalitèr, & expressè, N. illativè, C. Vel sumit revelationem, & fidem latiori sensu pro omni veritate cujuscumque ordinis, quæ a Deo, qui est prima veritas, manifestatur. Addam ad cumulum, pluribus videri neque ab ipso Concilio Nicæno quæstionem hanc fuisse decisam de fide, sed tantùm per Trid. sess. 7. Can. 11. in dogma fidei transiisse. 1. Quia, quamvis Concilium Can. 19. jubeat, rebaptizari Paulianistas, & vetet rebaptizare Novatianos, non tamèn anathematiferit eos, qui aliorum Hæreticorum, quàm Paulianistarum Baptisma receperint; quod tamèn fecisset, si hanc quæstionem ad fidem pertinere censuisset. 2. Quia post Concilium Nicænum erant adhùc in Oriente, & in Africa, qui Hæreticorum Baptisma rejiciebant, ut patet ex S. Basilio, qui Cypriani, & Firmiliani disciplinam sectabatur.

Repones: Noverant Cyprianus, & Collegæ, necessitatem baptismi ad fidem pertinere: ergo existimabant, ad fidem pertinere quæstionem de rebaptizandis invalidè baptizatis, quales esse dicebant baptizatos ab Hæreticis. R. D. Conseq. Ergo existimabant, ad fidem pertinere quæstionem de rebaptizandis invalidè baptizatis, si tenerent tanquàm dogma fidei esse invalidè baptizatos, C. secùs, N. Porrò, cùm Cyprianus, & Collegæ apprimè scirent suam opinionem de inviliditate Baptismi Hæreticorum non esse solemni Ecclesiæ decreto definitam, illam non apprehendebant tanquàm certum fidei dogma, sed ut quid fidei conformius; consequentèr non existimabant, quæstionem de rebaptizandis sic baptizatis ad fidem pertinere, sed permittebant cuique sentire quid vellet, & conformitèr ad suum sensum iterare, vel non iterare hujusmodi Baptismum, pro diversa Ecclesiarum. disciplina.

Dico 2. Senserit necne Stephanus, controversiam de Baptismo Hæreticorum pertinere ad fidem, quod incertum nobis est, eam saltèm ex Cathedra tanquàm dogma fidei non definivit. Prob. Ad definitionem alicujus fidei dogmatis ex Cathedra requiritur, quod Summus Pontifex illud toti Ecclesiæ solemni ritu, tanquàm fide divina credendum sub anathemate proponat, ut dicemus alibi; atqui talis non fuit definitio Stephani circa præsentem controversiam: non enim damnavit rebaptizationem tanquàm contrariam traditioni dogmatis, sed consuetudinis; neque suam definitionem toti Ecclesiæ fide divina credendam proposuit, sed dumtaxàt per privatas litteras S. Cypriano, & Collegis direxit.

Dices cum Honorato Tournely: 1. Ecclesia in Concilio plenario, de quo sæpè Augustinus, probavit sententiam Stephani, & eam tanquàm de fide definivit. 2. Stephanus excommunicationem comminatus fuit contra rebaptizantes: id autèm non fecisset in re ad meram disciplinam spectante. 3. Vincentius Lirinensis in Commonit. c. 9. id affirmat: ergo. R. ad primum. 1. N. Conseq. Estò enim Concilium plenarium hanc quæstionem tanquàm fidei dogma definivisset, non sequitur, quòd Stephanus ità priùs eam definierit. 2. Probabile est multis, ut modò dicebam, Concilium Nicænum, quod Tournelius existimat ab Aug. laudatum, eam ut de fide non definivisse. Ad 2. N. Min. In rebus enim ad disciplinam spectantibus potest Papa comminari anathema contra Refractarios, ut fecit Victor contra Quarto-decimanos. Ad 3. N. Dixit enim tantùm Vincentius de Stephano: *Sanxit, nihil innovandum, nisi quod traditum est*: sunt autèm Traditiones solam disciplinam spectantes.

SECTIO II.

Utrùm Sthephanus Papa de facto excommunicaverit S. Cyprianum, Firmilianum, & alios Rebaptizantes?

DIco: Stephanus Papa comminatus est quidèm excommunicare S. Cyprianum, Firmilianum, & alios rebaptizantes, sed de facto non excommunicavit. Baronius id concedit de S. Cypriano; negat de Firmiliano, & aliis rebaptizantibus. Sed de utroque, & aliis. Prob. 1. S. Cyprianus Ep. 74. ad Pompeium de decreto Stephani loquens, inter plura alia, quibus S. Pontificem perstringit, dicit: *Dat honorem Deo, qui, Hæreticorum amicus, & inimicus Christianorm, Sacerdotes Dei, veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tenentes, abstinendos putat? Si sic honor Deo Datur... abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus Diabolo ordinationem Evangelii, &c.* Non dicit Cyprianus *abstinet*, aut *abstinuit*, sed *abstinendos putat;* qua phrasi non significatur Excommunicatio lata, sed ferenda, & loquitur indistinctè de omnibus rebaptizantibus.

Prob. 2. Aug. l. 5. de Bapt. c. 25. *Stephanus*, inquit, *abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur: iste autèm* (Cyprianus) *quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus præditus, in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent. Ità, quamvis commotus, sed tamèn fraterne, indignaretur; vicit tamèn pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schismatis malum oriretur.* Et libr. de unico Bapt. c. 14. *Cùm ergo*, inquit, *Stephanus non solùm non rebaptizaret Hæreticos, verùm hoc etiam facientes excomunicandos esse censeret... tamèn cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit... nec ulla facta est a Cypriano, & eis, qui paritèr de Baptismo sapiebant, ab illorum Communione divisio.* Si ergo vicerit pax Christi, si unitatis pax permanserit, si nulla facta sit communionis divisio, nullum ortum schisma, nulla certò lata fuit Excommunicatio: & loquitur Aug. non solùm de Cypriano, sed etiam de eis, qui paritèr sentirent.

Prob. 3. argumento negativo. Eusebius l. 7. Hist. Eccl. c. 3. S. Hieron. Dialogo adversus Luciferianos, Vincentius Lirin. in Commonit. c. 9. referentes hoc dissidium, nihil habent de Excommunicatione lata, sive in Cyprianum, sive in Firmilianum, sive in alios; quam procul dubio ut singularem, & præcipuam hujus contraversiæ circumstantiam, si revera lata fuisset, non omisissent. Confirm. Cùm Donatistæ continuò opponerent Catholicis exemplum Cypriani, qui Hæreticos rebaptizaverat, Catholici, qui contra illos pugnabant, præsertim Aug. non omisissent reponere, Cyprianum ideò fuisse excommunicatum, si ita res esset; & tamèn de illa Excommunicatione lata altum apud illos silentium.

Prob. 4. & specialitèr de Firmiliano. S. Dionysius Alex. in Ep. ad Sixtum Stephani Successorem, apud Euseb. l. 7. Hist. Eccles. c. 4. loquens de Stephano dicit: *Anteà quidèm Litteras scripserat de Heleno, & Firmiliano, de omnibus deniquè Sacerdotibus, per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas Provincias constitutis, sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quòd Hæreticos rebaptizarent... de his omnibus ego ad illum epistolam misi rogans atque obtestans*, ne scilicèt Stephanus hos omnes a Communione separaret; quod, omninò verisimile est, eum obtinuisse, cum ab illo tempore fuerit sopitum solemne istud dissidium, & de illo nihil ampliùs legatur apùd antiquos.

Confirm. 1. Ecclesia Græca Firmilianum colit ut sanctum die 28. Octobris; ipse etiam affuit duobus Conciliis celebratis Antiochiæ ann. 265. & 269. adversus Paulum Samosatenum, & Patres in Epist. Synodica ipsum vocant beatæ recordationis Virum. At, si excommunicatus fuisset, neque ut sanctum coleret Ecclesia, nec comunicassent cum ipso Patres Antiocheni, nec eùm dixissent *Beatæ recordationis virum;* præsertìm cum incertum sit, àn se retractaverit antè mortem, sicque mortuus esset extra Communionem Ecclesiæ Romanæ. Confirm. 2. Si SS Stephanus Firmilianum excommunicasset, Cyprianum, & omnes alios rebaptizantes eodem vinculo illigasset; una enim erat omnium causa, & dum aliquis error proscribitur, lata in assertores Excommunicationis sententia, moris est, ut omnes propugnantes eadem censura feriantur; atqui, fatente Baronio, Cyprianus non fuit excommunicatus: ergo.

Obj. 1. S. Cyprianus in Epist. ad Pompeium dicit, Stephanum unitatis fuisse oblitum: *Ille utiquè*, inquit, *unitatis oblitus, mendacia, & contagia profanæ tinctionis usurpat:* ergo. R. Cyprianum ibi loqui de unitate Baptismatis, & non de unitate Communionis. Patet ex textu: *Præcepit*, inquit de Stephano loquens, *nihil aliud innovari, nisi quod traditum est: quasi is innovet qui unitatem tenens unum Baptisma uni Ecclesiæ vindicat; & non ille utiquè, qui unitatis oblitus mendacia, & contagia profanæ tinctionis usurpat.*

Inst. Cyprianus in præfatione ad Concilium Carthag. dicit, posse unumquemque sentire liberè, quod vellet: quia nullus est, qui se Episcoporum Episcopum constituat, & cæteros terrore tyranico ad suum sensum adigat, indigitans his verbis Stephanum: ero. R. 1. Hæc verba obvio sensu intellecta optimè posse referri ad Episcopos præsentes, quorum nullus se Episcoporum Episcopum dicebat, nec alios terrendo in suas partes trahebat. 2. Sed esto, his indigitari Stephanum, referuntur ad minas excommunicationis, & non ad excommunicationem de facto latam.

Obj. 2. Firmilianus in Epist. ad Cyprianum inter Cyprianicas 75. apertè dicit, se, & Cyprianum, & alios ejusdem sententiæ fuisse excommunicatos. *Quod nunc*, inquit, *Stephanus ausus est facere* (scilicèt discedere ab unitate) *rumpens adversus vos pacem.* Deindè alloquens Stephanum: *Lites*, inquit, *& dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? Excidisti enim teipsum, noli te fallere; si quidèm ille verè est Schismaticus, qui se a Communione Ecclesiasticæ unitatis Apostatam fecerit: dùm enim putas, omnes a te abstinere posse, solutum te ab omnibus abstinuisti.* Posteà refert, Stephanum Episcopos, a Concilio Carthag. Romam missos, noluisse *ad sermonem saltèm colloquii communis admittere;* & præcepisse, *ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax, & communio, sed & tectum, & hospitium negaretur*. ergo. R. Firmilianum iratum, & plùs æquo commotum in Stephanum propter litteras ejus increpatorias, & minaces, & quòd durius excepisset Legatos, minas exaggerasse, excommunicationem comminatoriam, quasi revera lata fuisset, descripsisse, multaque alia falsa, & injuriosa effutiisse in Stephanum, quæ hac in re omnem ipsi auferunt fidem. Vocat etenim ibidèm Stephanum Schismaticum; illum comparat Judæ proditori; auditori; audaciæ, insolentiæ, improbitatis, imò & apertæ stultitiæ insimulat. Quis credat Firmiliano, hæc & plura alia irati inimi impetu contra Stephanum sanctissimum pontificem effutienti?

Sed esto verum esset, quod dicit de repulsa Legatorum, deque denegato ipsis hospitio, nihil indè probaretur. Id enim fecit Stephanus, si fecerit, œconomiæ causa, ne Legatos benignè recipiens illorum errori favere videtur, & ut efficaciùs illos ab errore revocaret: qua œconomia usus est S. Epiphanius, dùm recusavit hospitari in ædibus S. Chrysostomi, licèt invitatus; non quòd ipsum excommunicaret, aut excommunicatum crederet, sed ut ipsum revocaret a patrocinio, quod credebatur impendere Origenistis, & ne his favere videretur. Insupèr, si verba Firmiliani probarent, ipsum de facto fuisse excommunicatum a Stephano, id paritèr evincernt de Cypriano, quod negat Baronius, cujus est hoc argumentum: Dicit enim Firmilianus alloquens Cyprianum: *Quod nunc ausus est facere, rumpens adversus vos pacem.* Itèm scribit Stephanum *cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modò cum Orientalibus* (*quod nec vos latere confidimus*) *modò vobiscum, qui in meridie estis.* His tamèn non obstantibus: juxta Baronium, Cyprianus non fuit excommunicatus: ergo nec Firmilianus. Et sicut, quæ Cyprianum spectant, intelligit Eminentissimus Scriptor per exaggerationem dicta, ità & quæ Firmilianum spectant, intelligenda sunt.

SECTIO III.

Utrùm Cyprianus, & Firmilianus errorem deposuerint?

DIco 1. Cyptianum errorem deposuisse, incertum est; potest tamèn præsumi. Ità Aug. Epist. 48. ad Vincent. Donat: *Cyprianum*, inquit, *correxisse istam sententiam, non invenitur. Non incongruentèr tamèn de tali viro existimandum est, quod correxerit: & fortassè suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velùt patrocinio carere noluerunt.* Et l. 2. de Bapt. c. 4. *Et fortassè factum* (id est, Cyprianus cessit auctoritati) *sed nescimus: neque enim omnia, quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoria litterisque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata sunt, novimus*, Confirm. Cyprianus decretum Stephani impugnavit, tertiamque Synodum Carthaginensem pro suo errore stabiliendo convocavit. Post hanc autèm Synodum exorta est contra Ecclesiam persecutio, quæ sancti Martyris mentem alio distraxit: post mortem ejus fuerunt in Africa rebaptizantes, qui se exemplo S. Martyris tuebantur, quibus Catholici, præsertim Aug. procùl dubio opposuissent ejus retractationem, si ea innotuisset.

Dico 2. Incertum etiam esse, àn Firmilianus ab errore retractationem baptizantium recesserit: quia nihil de ejus retractatione legimus in veterum monumentis; & aliundè certum est, quòd iratus decreto Stephani multa contra ipsum injuriosè evomuerit; quæ ejus in propugnando errore firmitatem ostendunt: & post centum circitèr annos, tempore Basilii magni, erant adhùc in Cappadocia rebaptizantes.

Obj. 1. S. Dionysius Alexandr. Epist. ad Steph. apud Euseb. l. 7. Hist. Eccles. c. 4. scribit, *Omnes Ecclesias Orientales rediise ad concordiam.* 2. Aug. l. 3. contrà Crescon. supponit ut verum quod asserebat Cresconius, Orientales scilicèt suum errorem deposuisse. 3. S. Hieron. Dialogo adversùs Lucifer. dicit Africanos *Episcopos, qui cum Cypriano rebaptizandos statuerunt Hæreticos, ad antiquam consuetudinem revolutos, novum emisisse Decretum:* ergo. R. ad 1. S. Dionysium Alex. loqui de concordia, ad quam redierunt Ecclesiæ, quæ, non proptèr errorem rebaptizantium, sed proptèr schisma Novatianorum erant discissæ. Patet ex Eusebio ibidèm dicente: *Ad hunc igitùr* (Stephanum) *Dionysius per litteras scripsit, in quibus id tandèm illi indicat, omnes ubiquè Ecclesias, mollito jam persecutionum furore, Novati turbulentam novitatem detestantes, inter se pacem iniisse.*

Ad 2. 1. Quòd tempore Augustini, 200. fermè annis Cypriano posteriores, Orientales errorem de Baptismo deposuerunt, non probat, quod Cyprianus, Firmilianus, & eorum Collegæ resipuerint. 2. Aug. arguit ex concessis a Cresconio, argumento, ut dicunt, ad hominem, scilicèt: si Orientales, ut asseris suum deposuerint errorem, quare vos non deponitis? Quare vos à Catholicis sejunxistis, & non potiùs servastis communionem exemplo Cypriani, quem tantoperè laudatis? Utrùm autèm verum esset quod dicebat Cresconius, non expendit Aug.

Ad 3. non una est Responsio. Quidam respondent, inter quos Tournely, S. Hieronymum loqui de Episcopis Afris, qui Concilio Arelat. interfuerunt; sed cùm Concilium Arelat. celebratum fuerit anno 314. & 3. Concilium Carthaginense, in quo Episcopi cum Cypriano Hæreticos esse rebaptizandos statuerunt, anno 258. id est, 60. circitèr annis antè Concilium Arelat. Episcopi, qui secundùm Hieronymum Hæreticos rebaptizandos statuerant, erant vel mortui, vel extrema senectute gravati.

Alii minùs fundatam reputant Hieronymi opinionem. 1. Quia extrà ipsum in tota retrò antiquitate nullum hujus novi decreti extat vestigium; quod si extitisset, frequentèr eo usi fuissent Aug. & alii contrà Donatistas, cùm tamèn Aug. fateatur, nullibi extare. 2. Quia Donatistæ auctoritate 3. Concilii Carthaginensis maximè gloriabantur; attamèn, si alicubi, maximè in hoc Concilio fuisset emissum istud novum decretum. 3. Quia tempore Concilii Arelat. 60. fermè annis pòst obitum Cypriani, vigebat adhùc apùd Africanos mos rebaptizandi. Ex quibùs inferunt, dimisso Hieronymo, potiùs standum Aug. qui in Africa commorans res Afrorum meliùs noverat, quàm Hieronymo Romæ vel Jerosolymis existenti. Vel dicendum, Hieronymum, ex eo quòd videret suo tempore Afros admittere Baptisma Hæreticorum ex odio contrà Donatistas, inductum fuisse ut crederet Afros hunc errorem deposuisse pòst Concilium 3. S. Cypriani Alii tandèm respondent, Hieronymum loqui de Episcopis non habita ratione personarum, sed Ecclesiarum, id est, de Ecclesiis, qui tempore Cypriani errorem rebaptizantium statuerant, & tempore Hieronymi ab hoc errore recesserant. Secundæ vel tertiæ Responsioni, proùt placuerit, subscribat Lector.

SECTIO IV.

Utrùm Cyprianus, Firmilianus, & iis consentientes, excusari possint ab omni culpa?

CYprianum, & Frmilianum peccasse duriùs excipiendo decretum Stephani, ipsumque injuriis & dicteriis afficiendo, quem ut Ecclesiæ caput suumque superiorem venerari debeant, videtur extrà controversiam. Vidimus suprà, quæ contrà Stephanum immerito protulit Firmialianus. Cyprianus verò Epist. ad Pompejum de eodem SS. Pontifice dicit: *Nàm inter cætera, vel superbè, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperitè, atque improvidè scripsit, etiam illud adjunxit ut diceret*, &c. Itèm: *Fit autèm studio præsumptionis & contumaciæ ut quis magis sua prava & falsa defendat, quàm alterius recta & vera consentiat*, &c. Hæc contrà SS Pontificem non puto a quoquam excusanda. Sed Quæstio est utrùm ipse eorum error sit excusabilis.

Dico: Error Cypriani, & aliorum rebaptizantium ex multis capitibus est excusabilis; non videtur tamèn juxtà Aug. ab omni prorsùs culpa immunis, maximè pòst Stephani decretum. Prob. 1. pars. 1. Cyprianus cum suis arbitrabatur, causam de rebaptismo ad meram disciplinam pertinere, ut provabimus, ideòque cuique Provinciæ licère in ea suas Leges condere, & proprios usus habere. 2. Nihil innovavit Cyprianus cum suis Collegis, sed hærebat consuetudini inductæ *ab Agrippino & nonnullis per Africam Coëpiscopis etiam per Concilii sententias*, qui majorum traditionem deseruerant; quod nisi fecissent, nec contrà illam *tam sancta rationari causa fuisset.* Ità Aug. l. 2. de Bapt. c. 6. 3. Rebaptismus probatus fuerat ab 80. circitèr Episcopis, & rationes, quæ opponebantur, non eranta tales, *Quibus illa talis anima moveretur.* Aug. ibid. & l. 1. c. 18. Et è contrà rationes Cypriani tales erant, ut Aug. ipse l. 2. c. 4. dicat, se a ea sententia fore dubium, nisi firmaretur *Ecclesiæ concordissima auctoritate.* Neque Cyprianus, neque ei consentientes unquam ruperunt vinculum pacis, ut passim urget Aug. contr Donatistas. 1. Et maximè, quia etiam pòst Stephani decretum non erat satis distinctum inter substantiam Sacramenti & ejus effectum, scilicèt gratiam. Putabant enim rebaptizantes Stephanum decrevisse, & prætendere Baptisma Hæreticorum iis consentientibus conferre gratiam, apùd ipsos esse *remissionem peccatorum*, & salutem posse obtineri *extrà unitatem Ecclesiæ;* idque Stephano exprobrat Cyprianus, quòd *effectum Baptismi Majestati nominis tribuat;* patet etiam ex rationibus Cypriani & aliorum rebaptizantium, quas Art. 3. deduximus, idque expressè affirmat Aug. initio l. 6. de Bapt. dicens: *Nec ob aliud illis temporibus... visum est quibusdam... non esse posse apùd Hæreticos vel Schismaticos Baptismum Christi, nisi quia non ditinguebatur Sacramentum ab effectu Sacramenti.* Locum integrum retulimus Art. citato: ità aut, si hæc distinctio clarè explanata fuisset, verisimile sit, quòd Cyprianus, & ejus socii Stephano consensissent, maximè cum Cyprianus non neget baptizatos ab Hæreticis ad Ecclesiam redeuntes posse absquè novo Baptismo salutem consequi *propter unitatem Ecclesiæ*, in qua recepti fuerunt, ut etiam vidimus suprà ex Aug. l. 2. de Bapt. c. 14.

Prob. 2. pars ex Aug. l. 1. de Bapt. c. 18. ubi 1. vocat rebaptizantium praxim *hamanæ infirmitatis errorem.* 2. Dicit, hunc errorem *charitate unitatis* redditum fuisse venialem: *Qua enim*, inquit, *charitate absente cetera inanitèr habentur; eadem præsente, quædam venialitèr non habentur.* 3. Dicit, quòd Cyprianus *ad Martyrii coronam meruit pervenire, ut si in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur.* 4. Dicit, ejus errorem *Charitatis ubertate compensatum fuisse, & passionis falce purgatum.*

Vim apertam facit textibus Augustini Gaspar Juenin, cùm dicit, Aug. hæc referre non ad praxim, & errorem Cypriani, & aliorum rebaptizantium, sed ad modum duriorem quo Cyprianus excepit decretum Stephani. Enim vero, quæ 1. & 2. numero retulimus, profert Augustinus non de solo Cypriano, sed de omnibus rebaptizantibus & eorum errore; dicit enim: *In qua* (quæstione de rebaptismo) *si aliud alii, & aliud alii, adùc de ista quæstione salva pace sentirent... humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis... qua enim absente*, &c. ut suprà. Apertum est, hæc respicere non solùm Cyprianum, sed omnium erorem rebaptizantium, qui in Communione Ecclesiæ mansuerunt, quod apertius fit ex verbis immediatè sequentibus; prosequitur enim Aug. *Extant B. Martyris Cypriani in ejus litteris magna documenta, ut ad illum jam veniam de cujus autoritate isti carnalitèr blandiuntur:* ergo priùs non fuerat locutus de uno Cypriano, cùm nùnc ad illum jam specialitèr venit. Non minùs manifestum est, ea, quæ dicit ultimo loco, spectare errorem Cypriani, non ejus commotionem in Stphanum: *Quod ergo* inquit, *ille vir sanctus de Baptismo alitèr sentiens, quàm res se haberet* (audis errantem, non insoletem)... *Charitatis ubertate compensatum est, & Passionis falce purgatum.*

Prob. 2. Difficile videtur, posse ab omni omnino culpa excusari firma & perseverans resistentia S. Cypriani & aliorum rebaptizantium Stephano Pontifici sanctisimo, quem ipse Cyprianus alibi agnoscebat ut supremum Ecclesiæ caput & Rectorem, Superioremque suum.

SECTIO V.

Utrùm Stephanus Decreto suo contrà rebaptizantes in errorem oppositum lapsus sit, approbando omnium promiscuè Hæreticorum Baptisma?

DIco: Stephanus decreto suo contrà rebaptizantes non approvavit ominum promiscuè Hæreticorum Baptisma. Est contra Blondellum, & Marcum Antonium de Dominis, Hæreticos; & ex Catolicis contrà Launoium & Dupinium; qui contendunt, Stephano ratum fuisse baptisma quorumcumque Hæreticorum, etiam absque forma Evangelica collatum. Prob. 1. ex ipso Stephani decreto, in quo maximè vim faciunt Adversarii. Refertur à S. Cypriano Epist. 74. ad Pompeium his verbis: *Si quis ergo quacumque Heresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Id unum ergo voluit Stephanus, ut servaretur Traditio, quod etiam testantur Euseb. l. 7. Hist. c. 3. Hieron. adversùs Lucifer. & Vincentius in Commonit. c. 9. Atqui est & sempèr fuit in Eclesia traditum, non omnium promiscuè Hæreticorum baptisma, sed illud solum, quod sub forma a Christo instituta, id est, sub invocatione Trinitatis confertur, esse validum: ergo. Hæ itaquè particulæ, *a quacumque hæresi*, restringitur per has, *quod traditum est*, ad illos Hæreticos, qui formam Ecclesiæ servant. Id adhùc magis constabit ex sol. Obj.

Prob. 2. ex Firmiliano & Cypriano. Firmilianus Epist. ad Cyprian. de Stephani decreto dicit: *Illud quoquè absurdum, quòd*

quòd non putant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit eo quòd, qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritûs S. Et Cyprianus Epist. ad Pompeium etiam de Stephano loquens, dicit: *Aut si effectum Baptismi Majestati nominis* (scilicèt invocationi Trinitatis) *tribuunt, ut qui in nomine* (id est auctoritate) *Christi ubicumquè & quomodocumquè baptizantur, innovari & sanctificari judicantur.* Ex quibus patet, Cypriani & Firmilianum Stephani decretum intellexisse de baptismate collato a quibuscumque Hæreticis, sub invocatione tamên Trinitatis.

Prob. 3. Tota controversia inter S. Stephanum & Rebaptizantes fuit de fide Ministri, nullatenùs de forma Sacramenti, ut constat ex rationibus rebaptizantium, quas suprà art. 3. discustimus: ergo decretum Stephani contrà Rebaptizantes sepectat tantùm fidem Ministri, non formam Sacramenti. Prob. 4. Sententia Stephani ea fuit, quæ nùnc est & sempèr fuit in Ecclesia; atqui Ecclesia nunquàm approbavit, neque nùnc approbat Baptisma collatum sine debita forma: ergo. Min. constat. Prob. Maj. 1. ex Aug. qui continuò in libris contrà Donat. antiquam Ecclesiæ consuetudinem decreto Stephani, dicit, esse vindicatam. Et l. 2. contrà Gaudentium Donat. c. 8. *Dic mihi*, inquit, *utrùm illo tempore quandò secundùm vos* (Ecclesia) *omnium criminum reos sine Baptismo recipiebat per Stephanum, & innumerabiles ejus toto orbe Collegas... malorum contagione perierat, àn non perierat?* 2. Ex Vincentio Lirin. in Commonit. cit. ubi de Stephano ait: *Intelligebat enim vir sanctus & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filii consignarentur... Quis ergo tùnc universi negotii exitus? Quis utiquè, nisi usitatus & solitus? Retenta est antiquitas, explosa novitas.* 3. Ex Facundo Herm. contrà Mocianum dicente: *Stephani potiùs, quàm Cypriani, sententiam tenet Ecclesia.* Prob. 5. Si Stephanus in errorem oppositum errori Cypriani lapsus esset, tota tùnc Ecclesia à fide defecisset, si quidèm omnes tàm Episcopi quam fideles sententiæ vel Cypriani, vel Stephani adhærerent: ergo.

Obj. Decretum Stephani, de quo probatione 1. quo decrevit, venientes *a quacumque* hæresi non esse rebaptizandos. R. has particulas *a quacumque hæresi*, ut jam dixi, intelligendas esse in subjecta matria & sub restrictione, quam indicant verba sequentia, *nihil innovetur, nisi quod traditum est*, ideòque de venientibus a quacumque hæresi formam legitimam servante. Præter dicta, confirm. hæc responsio ex Eusebio, Hieron. & Aug. qui eumdem loquendi modum tenent; quos tamèn, nemo accusabit, aprobasse Baptismum Hæreticorum sine verbis Evangelicis collatum. Euseb. l. 7. Hist. Eccles. c. 2. *Per id tempus*, inquit, *non mediocris controversia exorta est, utrùm eos, qui* ex qualibet hæresi *convertuntur, Baptismo purgari oporteret; quippè antiqua consuetudo invaluerat, ut in hujusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus abhiberetur.* S. Hieron. contrà Lucifer. dicit, *Hilarium confiteri, a Julio, Marco, Sylvestro & cæteris veteribus Episcopis similitèr in pænitentiam* omnes Hæreticos *susceptos.* S Aug. l. 5. de Bapt. c. 5. *Homines*, inquit, *occulta nescio qua inspiratione Dei detestantur, si quis iterùm Baptismum accipiat*, ubicumquè *jam acceperat.* Sicùt ergo constat, hos laudatos Patres, non obstantibus particulis universalibus, numquàm admisisse Baptisma, collatum sine invocatione Trinitatis, ità quoquè certò constare debet de Stephano, non obstante particula, *ex quacumque*; præsertim cùm in ipso decreto apponat particulas restringentes, & nunquàm inter ipsum & Rebaptizantes fuerit controversia de forma Baptismi, sed de fide Ministri. Et hæc est ratio, cur Stephanus in dècreto non distinguat inter Hæreticos, qui servarent formam, & eos, qui non servarent. Sed cur Cyprianus rejeceret omnium Hæreticorum Baptisma propter defectum fidei, Stephanus nullum rejiciebat propter istum defectum.

Inst. 1. S. Cyprianus Epist. 74. intellexit decretum Stephani de Baptismo, sub quacumque forma collato: dicit enim *Effectum Baptismi Majestati nominum tribuunt, ut qui in nomine Christi ubicumquè & quomodocumquè baptizantur, innovati & sanctificati judicantur* Ubi particula *quomodocumquè* indicat Baptismum sub qualibet forma collatum: ergo. R. ex ipsis verbis constare, S. Cyprianum loqui de Baptismo sub nomine Trinitatis, ut enim observavi in probationibus, exprobrat Stephano, quòd tribuat effectum Baptismi *Majestatem nominum.* Igitùr particula *quomodocumquè* in ejus verbis non plus significat, quàm particula *a quacumque hæresi* in decreto Stephani; & sensus est, Stephanum admittere venientes a quacumque hæresi, quæ virtutem Beaptismi tribuebat Majestati nominum Patris & Filii & Spiritus S. Nisi malueris dicere, S. Cyprianum æstu disputationis abreptum exaggerasse, aut non attigisse mentem Stephani.

Inst. 2. S Cyprianus Epist. laudata exprobrat, quòd Stephanus recipiat Baptisma Marcionis, Valentini & Apelletis: In *tantùm*, inquit, *Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Mararcionis Baptismo, itèm Valentini, & Apelletis, & cæterorum blasphemantium Deum Patrem, contendat filios nasci, & illic in nomine Jesu-Christi dicat remissionem pecatorum dari, ubi blasphematur in Patrem & in Dominum Deum Christum*; atqui isti Hæretici non baptizabant in nomine sanctissimæ Trinitatis, cùm eam negarent, ut dicit Cyprianus: ergo. R. N. Min. universalitèr sumptam, scilicèt omnes Hæreticos designatos temerasse formam Baptismi, & nullum ex qualibet secta baptizasse in nomine Trinitatis. Ad probat. N. Conseq. Stare enim potest, ut Hæretici, qui negant Trinitatem personarum in una individua substancia, non obstante hoc privato errore, baptizent tamen in nomine Trinitatis: sicut qui negant, Christum esse Deum & Hominem, bàptizant tamèn in nomine Christi: idque palàm fit in ipsis Arianis, qui, licèt negarent Trinitatem, attamèn baptizabant saltèm ut plurimùm in nomine Trinitatis, & ideò eorum Baptisma non rejicitur à Concilio Niceno.

Quinam autèm ex antiquis Hæreticis formam Baptismi adulterarent, & àn omnes ejus sectæ eamdem formam sempèr observarent, obscurum est & incertum. S. Irenæus l. *1.* c. 18. n. *21.* adulterationem formæ tribuit solùm Marcitis & Colorbaseanis: Concilium Nicænum solis Paulianistis; et Aug. l. 6. de Bapt. c. 25. dicit, *faciliùs inveniri Hæreticos, qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis* (Evangelicis) *baptizent.* Scio, quosdam contendere ex Timotheo Presbytero apùd Balsamonem, Marcionitas non baptizare sub forma Evangelica. At in primis indè non probatur, omnes Marcionitas ità baptizase, cum, ùt observavimus, non omnes & singuli alicujus sectæ Hærtici eumdem sempèr ritum in baptizando observarent: ut patet in Arianis. 2. Esto, Marcionistas omnes corrupisse formam, nihil adhùc evincitur; quia apertum est. S. Cyprianum loqui de Baptismo collato *in nomine Christi*, id est, Baptismo ritu à Christo instituto, consequentèr de Baptismo collato in nomine Trinitatis; non enim alium Christus instituit. Sensus ergo illius est, Stephanum decrevisse Baptismum collatum in nomine Trinitatis à quibuscumque Hæreticis, etiamsi Marcionis, Valentini, & Apelletis, qui blasphemabant in Trinitatem, dare remisionem peccatorum, non inquirendo, an isti vel alii Hæretici servarent formam debitam; quia de hoc non erat quæstio: sed culpando Stephanum, quòd soli invocationi Trinitatis absquè fide baptizantium adscriberet salutem. In quo, ut jam adverti, non fuit assecutus mentem Stephani, qui non de salute seu effectu Sacramenti, sed de ipso Sacramento decreverat.

Inst. 3. Aug. libr. de unico Bapt. contra Petil. c. 14. *Stephanus*, inquit, *Baptismum Christi in nullo iterandum esse, censebat, & hoc facientibus gravitèr succensebat*: ergo. R. N. Conseq. Quia solus ille Baptismus est Baptismus Christi, qui confertur in forma à Christo instituta.

Inst. 4. Benedictus XII. apùd Emericum in Directorio n. 2 q. 17. refert, SS. Stephanum & Cyprianum in oppositos errore, incidisse, quos correxit Concilium Nicænum: ergo. R. Benedictum XII. hæc scripsisse, dùm esset tantùm Cardinalis, mille, & ampliùs annis pòt factum. Undè in hac quæstione facti non est tanta ejus auctoritas, ut prævaleat veterum monumentis, & probationibus nostris.

Urget tandèm Launoius, Ecclesiam cultu præstantiore prosequi S. Cyprianum, quàm S. Stephanum. Sed quid indè? Sanctitatem Cypriani, dùm viveret, fuisse ilustriorem, Doctrinæ præstantiam, & famam celebriorem; at nullatenùs Cyprianum non errasse, & Stephanum errase.

SECTIO VI.

An sint alii Patres, Qui rebaptizantium sentetnciæ adhæserunt.

QUæstio est de SS. Dionysio Alex. Basilio, Athanasio, Optato Vilevitano, & Cyrillo Jerosolym.

De S. Dionysio Alexandrino.

IPsum Rebaptizantibus adhæsisse, testatur Hieronymus de Script. Ecclesiasticis cap. 69. his verbis. *Hic, in Cypriani, & Africani Synodi dogmati consentiens, Hæreticis rebaptizandis, addiversos plurimas misit Epistolas, quæ usque hodiè extant.* Hieronymo subscribunt Baronius, Natalis Alexander, Berti, & alii plures. E contrà Juenin, Tournely, & alii ex quibusdam litterarum S. Dionysii fragmentis, quæ apùd Eusebium extant, conantur illum ab hoc errorre vindicare sequentibus momentis. 1. Quia in Epist. 3. ad Philemonem dicit, se ab Hercula prædecessore suo accepisse, *eos, qui ab Hæreticis, veniebant... pòst multas preces purgatos ad comunionem admittendos esse: nequaquàm existimamus, iterato baptismate eis opus esse.* In Epist. ad Xistum dicit, se noluisse rebaptizare senem quemdam atestantem Baptismum, quem ab Hæreticis acceperat, nihil commune cum nostro habere, proindequè petentem, ut vero nostro Baptismo initiaretur: *Quod equidèm facere*, inquit, *non sum ausus; sed diuturnam illi communionem ad se sufficere dixi. 3.* S. Basilius in Epist. ad Amphilochium asserit, S. Dionysium ratum habuisse Baptisma Pepusenorum. 4. Et præcipuè, S. Dionysius fuit mediator pro pace redintegranda inter rebaptizantes, & Sedem Apostolicam; verisimileque est, ipsum suis precibus obtinuisse, ut Stephanus non ferret excommunicationem, quam comminatus fuerat, ut dixi sect. 2. Prob. 4. 5. Rebaptizantes non leguntur advocasse in suum patrocinium S. Dionysium, quod non omisissent, si fuisset ejusdem cum ipsis sententiæ.

Respondet alii ad 1. S. Dionysium loqui de Apostatis, qui in vera Ecclesia Baptismun receperant, ut patet ex textu apùd Eusebium Ad 2. non dicit S. Dionysius, se noluisse rebaptizare hunc senem, quia ratum habebat ejus Baptismum; quod indubiè dixisset, si reverà ratum habuisset, sed se non ausum rebaptizare, quia in communione Ecclesiæ diù fuerat, & Corporis Dominici particeps. Erat autèm opinio rebaptizantium, eos, qui admissi fuerant ad altare, *per ipsum unitatis vinculum* sine novo Baptismo posse salutem consequi, ut refert Aug. l. 2. de Bapt. c. 14 ut suprà vidimus. Ad 3. S. Basilius ibid. dicit, Pepusenos non baptizare in præscripta forma, sed in Patrem, & Filium, & Montanum, & Priscillam. Ex quo sequitur, si valeat argumentum, S. Dionysium admisisse Baptisma absquè verbis Evangelicis collatum; quod nullo modo est verisimile. Quapropter dicendum, S. Dionysium ratum habuisse Baptisma Pepusenorum, non ubiquè, & absolutè, sed ubi juxta diversam disciplinam Hæretici non rebaptizantur; si tamèn sub Evangelica forma baptizarent Pepuseni. Quamvis enim Montanistæ non servarent præscriptam formam baptizando, iste tamèn error Pepusenis quamvis ejusdem sectæ non tribuitur ab Epiphanio hæresi 29. neque ab Aug. de hæresibus n. *26.* & 27. Vel dicendum S. Basilium minùs accuratum fuisse in referenda sententia S. Dionysii; quod non absquè fundamento dicitur, cùm in Epist. ad Maximun Philosophum ipsi immeritò affingat errorem Anomæorum, ut vidimus Dissert. prœmiali de Deo trino art. 3. Ad 4. & 5. verisimile est, rebaptizantes advocasse patrocinium Dionysii Alexandr. Siquidèm ipse instantèr interceserit pro ipsis apùd S. Sedem scribens sententiam Firmiliani *probatam in maximis Episcoporum Conciliis .. non ab Afris solùm, sed superiorum Episcoporum temporibus in Ecclesiis populosissimis, & in Conciliis Fratrum apùd Iconium, & Synnada, & apùd alios quàm plurimos*, sancitum esse, rebaptizandos esse Hæreticos, & esse periculosum a communione tot, ac tantorum virorum discedere. Sic, inquiunt, agit mediatorem Dionysius. Porrò, si Stephano Papæ consensisset, debebat potiùs dare operam, ut rebaptizantes Pontificis decreto se subjicerent.

Quapropter existimant, potiùs assentiendum esse S. Hieronymo, qui Dionysii Epistolas integras, & suo tempore extantes legit, quàm Recentioribus, qui tantùm fragmenta referunt, & legerunt, maximè cùm ista fragmenta non apertè evincant, Dionysium improbasse rebaptismum, ut patet ex solutionibus.

Hæc ad instructionem studiosi Lectoris in utramque partem. Urget pro una parte auctoritas S. Hieronymi; urget pro altera argumentum ab officio mediatoris petitum, cui non videtur plenè satisfactum. Ad conciliationem autèm utriusque opinionis quidam dicunt, Dionysium primo quidèm rebaptizantibus adhæsisse, sed posteà decreto Stephani se subjecisse.

De S. Basilio.

VIdetur, S. Basilium in errorem rebaptizantium consensisse: quia in Epist. 1. ad Amphilochium 1. distinguit tres classes eorum, qui ab Ecclesiæ communione separantur, scilicèt, Hæreticorum, Schismaticorum, & Parasynagogarum: Hæreticos vocat, qui in præcipuis Fidei capitibus errant, ut sunt Ariani, Manichæi, Valentiniani, Nestoriani, Pepuseni, &c. Schismaticos, qui propter Eclesiasticas causas inter se dissident: Parasynagogas, qui criminibus convicti se Canonibus subjicere recusant, & conventus privatos agunt. Qua distintione facta, de eorum Baptismo sic pronuntiat: *Visum est ergo ab initio Hæreticos quidèm omninò rejicere*: & postquàm dixit, Pepusenos baptizare in Patrem, & Filium & Montanum, & Priscillam, addit: *Antiquis visum est, Cypriano scilicèt, & Firmiliano, eos omnes Hæreticos uni calculo subjicere, Catharos, & Encratitas, & Hydroparastratas, & Apotactitas.* Pro ratione subjungit; quia, *qui se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent ampliùs in se gratiam Spiritùs... Et non possunt ampliùs Spiritùs S. gratiam aliis præbere, a qua ipsi exciderunt.* Attamèn addit: *Quoniàm nonnullis Asiaticis omninò visum est propter multorum œconomiam, & dispensationem eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.* Et Epist. 2. ad eumdem Amphilochium Can. 47. de Encratitis, Saccophoris, & Apotactitis sicùt de Novatianis dicit: *Nos autèm una ratione eos repaptizamus. Si autèm prohibita est apùd vos rebaptizatio sicùt a Romanis alicujus œconomiæ gratia, nostra tamèn ratio vires obtinet.* Hìnc concludit, necessarium esse congregari Concilium, in quo ista controversia dirimatur.

Ex his manifestum videtur, S. Basilium cum Cypriano, & Firmiliano, quos apellat, omnium Hæreticum Baptisma *rejicere*, & *omnes uni calculo subjicere.* Neque dici potest, ut quidam opinantur, S. Basilium loqui de Hæreticis, qui non servabant forman Baptismi: 1. Quia solos Pepusenos nominat, qui eam non servabant. 2. Quia omnium Hæreticorum Baptisma cum Cypriano, & Firmiliano rejicit; falsum est autèm, omnes Hæreticos temerasse formam præscriptam. 3. Quia pro ratione reiterationis Baptismi non profert defectum formæ, sed fidei, & Spiritûs gratiæ. 4. Tandèm, quia rejicit Baptisma, quod ipso fatente admittit Ecclesia Romana: nunquam autèm Ecclesia Romana admisit Baptismun, in quo non servata fuisset forma præscripta. Quod posset opponi ex Concilio Nicæno, in quo hæc controversia fuit definita contra rebaptizantes, quo tamèn posterior fuit Basilius, solvetur Sectione seq.

De S. Athanasio.

QUibusdam videtur, S. Athanasium rebaptizantibus esse accensendum, propter sequentia ejus verba Orat. 2. contra Arianos: *Ariani in periculum veniunt amittendæ mysterii integritatis: Nàm, si in Patris, & Filii nomine initiamur, illi autèm verum non pronuntiant Patrem, utpotè qui id, quod ex ipso est, ejusque naturæ est simile, negent: cùm itèm verum iidem negant Filium, aliumque nominant, quem ex nihilo creatum comminiscuntur, qui fieri potest, ut prorsùs vacuus, ac inutilis non sit Baptismus, qui ab illis datur, in quo quidem insit Religionis simulatio* secundùm aliam versionem: cum id non nisi species sit, & inane simulachrum:) *sed reverà nihil ad pietatem queat conferre? Nec enim Ariani in Patris, & Filii nomine dant Baptismum, sed in nomine Creatoris, & rei creatæ, effectoris, & rei factæ. Undè, quemadmodùm res creata alia est a Filio, ità Baptismus, quem illi dare putantur, a vero Baptismo alius est, etiamsi nomen Patris, & Filii, ut præcipit Scriptura, proferre assimulent. Non enim, qui dicit Nomine, ille etiam dat, sed is tantùm, qui cum nomine rectam quoquè habet fidem.. Itaquè multæ quoquè aliæ Hæreses nomina tantùm pronuntiant; verùm cùm rectè non sentiant, uti dictum est, nec sanam habeant fidem, inutilis est aqua, quam donant, quippè cui desit pietas; ità ut, quemcumque illi asperserint, impietate cedatur, potiusquàm redimatur. Sic & ipsi gentiles, tametsi Deum in ore habent, Deum tamèn convincuntur non colere; quia illum, qui verus, & verè Deus est, Patrem scilicèt Domini nostri Jesu Christi non agnoscunt. Sic Manichæi, Phryges, & Samosatensis Discipuli, quamvis proferunt nomina, nihilominùs sunt Hæretici.*

Respondent quidam, Athanasium reprobasse Baptismum Arianorum, quia Baptismi formam non servabant; sed id videtùr falsum: 1. Quia Athanasius non dixisset, Arianos incurrere periculum nullitatis, sed absolutè pronuntiasset nullum. 2. Quia Athanasius agnoscit, Arianos legitimam formam servare: *Etiamsi*, inquit, *qui cum Ario sentiunt, quæ scripta sunt, recitent, proloquanturque ipsa nomina. 3.* Quia Ariani tùnc saltèm non accusabantur violare formam Baptismatis; alioquin in Nicæna Synodo eorum Baptisma fuisset reprobatum, sicùt Baptisma Paulianistarum, cùm tamèn Nicæna Synodus omnes Hæreticos susceperit, exceptis Paulianistis, ut dicit Hieron. in Dialogo adversùs Luciferianos, & colligitur ex Concilii decretis. Undè R. cum pluribus aliis, S. Athanasium per hæc verba nihil aliud significare, quàm quòd Arianorum Baptismus sit inutilis, & vacuus quoad effectum gratiæ in adultis, qui ipsorum Hæresi communicant; non verò quoad substantiam, & characterem. Hæc autèm responsio innititur sequentibus momentis. 1. Athanasius dicit, Arianos *venire in periculum amittendæ integritatis Baptismi.* Si autèm censuisset esse nullum, dixisset eos amisisse integritatem Baptismi, & non tantùm venire in periculum amittendi. Dicit ergo, eos hoc periculum incurrere, quia, cùm malè sentirent de Filio, quem creaturam esse dicebant, facilè erat, ut suum errorem in formam Baptismi transfunderent, eumque conferrent in nomine Patris majoris, & Filii minoris; quo casu invalidum fuisset Baptisma etiam quoad substantiam. 2. Dicit, inutilem esse hunc Baptismum, quòd *nihil ad pietatem queat conferre*; quod designat Baptismi effectum, non substantiam. 3. Athanasius Ep. ad Rufinum, ubi agit de conditionibus Hæreticorum recipiendorum, non dicit, baptizatos ab Arianis esse rebaptizandos, sed conformitèr ad Concilium Nicænum, cui interfuerat, cum sola pœnitentia, & impositione manuum esse admittendos, & in Concilio Alexandrino ann. *362.* vult, *nihil amplius ab illis exigi, quàm ut execrentur Arianam Hæresim, confiteanturque SS. Patrum in Nicæa fidem.* Quis autèm credat; Athanasium, si nullum absolutè reputasset Arianorum Baptisma, non jusisse baptizatos ab illis rebaptizari more Cypriani, & Firmiliani, sed economiæ perniciosissimæ causa id omisisse, ut quidam imaginantur?

Quam-

Quamvis enim rebaptizantes eos, qui ab aliis sine rebaptizatione admissi erant in Ecclesia, & communionis participes fuerant, quandòque non rebaptizarent, nullum tamèn ipsi absquè rebaptismo admittebant. 4. Athanasius ignorare non potuit neque decretum Concilii Arelantensis de non rebaptizandis Hæreticis; pluribus enim annis in Gallia commoratus fuerat: neque decretum Concilii Nicæni de rebaptizandis solis Paulianistis, & non aliis hæreticis; huic enim Concilio interfuerat: neque Siricium, cui erat coætaneus, in Epist. ad Himericum Tarraconensem, ut validum admisisse Baptismum Arianorum; in qua addit ità a toto Oriente, & Occidente observari. His non obstantibus

Inst. Athanasius laudata Oratione contra Arianos dicit 1. Eorum Baptisma esse inane Religionis simulacrum: ergo nullum quoad substantiam. 2. Eorum Baptisma tam diversum esse a vero baptismate, quàm creatura diversa est a Creatore: ergo idem quod prius. 3. Ideò dicit nullum, quia carent fide, licèt nomina proferant; sicùt Gentiles, licèt Deum in ore habeant, verè tamen Deum non colunt. 4. Comparat Baptismum Arianorum Baptismo Paulianistarum, qui certò erat nullus etiam quoad substantiam: ergo: R. Hæc omnia rectè intelligi de effectu, non de substantia Baptismi. Undè ad *1.* dicit, Baptisma Arianorum esse simulationem in Religione, seu inane simulacrum; quia nihil ad pietatem confert iis, qui consentientes errori Arianorum illum suscipiunt. Ad 2. Est tàm diversum a vero Baptismate, quantùm ad effectum gratiæ, quàm creatura diversa est a Creatore. Ad 3. Quia fidem non habet, licèt nomina proferat, non dat Sacramenti effectum, scilicèt gratiam, suscipienti, qui ejus erroris est particeps, undè *inutilem aquam* habet: quippè cui desit pietas: sicùt Gentiles inutilitèr Deum in ore habent, quem non verum agnoscunt, nec verè colunt. Ad. 4 Comparat Baptisma Arianorum Baptismati Paulianistarum non quoad substantiam, sed quoad effectum; quia non magis confert gratiam propter defectum fidei, & pietatis in iis, qui adhærent Arianorum doctrinæ, quàm Baptisma Paulianistarum. Movet autèm nonnullos, quòd Athanasius hic dicat, Paulianistas proferre nomina, cùm tamèn eorum baptisma sit a Concilio Nicæno reprobatum, quòd adulterarent forma Baptismi: sed advertendum, S. Athanasium non dixisse eos servare integram formam, sed tantùm nomina proferre: fortè enim peoferebant solum nomen Patris, aut etiam Filii, & Spiritus S. sed cum expressione sui erroris. Vel dicendum, tempore Episcopatûs Athanasii fuisse quosdam Paulianistas, qui integram formam proferrent.

De S. Optato Milevitano.

EST etiam quædam difficultas in vindicando S. Optatum Milevitanum ab errore rebaptizantium, propter verba sequentia, quæ habet. l. 1 contra Parmenianum: *Vides*, inquit, *frater Parmeniane, Hæreticos a domo veritatis satis extorres, solos habere varia, & falsa baptismata, quibus inquinatus non possit abluere, immundus emundare.. Benè clausisti hortum Hæreticis: Benè revocasti claves ad Petrum.. vobis verò Schismaticis, quamvis in Catholica non sitis, hæc negari non possunt; quia nobiscum vera, & communia Sacramenta traxistis.* Quibus verbis videtur manifestum, S. Optatum rejecisse Baptisma Hæreticorum, & tamèn admisisse Baptisma Schismaticorum. R. S. Optatum loqui de Baptismo Hæreticorum, qui juxta formam Evangelicam non baptizabant. Veritas hujus responsionis patet. 1. Quia loquitur de Hæreticis, qui communia nobiscum Sacramenta non traxerunt, & habent diversa baptismata. Ergo & diversas formas Sacramnntorum. 2. Quia loquitur de Hæreticis, qui Symbolum vitiant: per Symbolum autèm intelligebatur tùnc temporis invocatio Trinitatis. Sic in Concilio Arelat. 1. can. 8. dicitur: *Si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; & si præviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu S. baptizatum*, &c. Sic Aug. libr. contra Donatistas c. 25. *Cæterum*, inquit, *quis nesciat non esse Christi Baptismum, si verba Evangelica, quibus Symbolum constat illic defuerint?* 3. Quia S. Optatus l. 5. ad eumdem Parmenianum ait: *In quo baptizarentur Gentes, a Salvatore mandatum est; per quem baptizarentur, nulla exceptione, discretum est. Non dixit Apostolis: vos facite, alii non faciant. Quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizaverit, Apostolorum opus implevit.* Undè concludit: *Ergo nomen est, quod significat; non opus.* Ibidèm impugnat principium commune rebaptizantium: *Redeo nùnc*, inquit, *ad illud vestrum, quod dicitis: Qui non habet, quod det, quomodo dat? Hæc verba in Lege scripta non sunt. Nàm, si, ut vultis, homo dat, Deus vacat: & si Deus vacat, & apùd vos est omne, quod dandum est, ad vos sit conversio: quos baptizatis, in nomine vestro tingantur.* Itèm ibidèm, producto Circumcisionis exemplo, sic scribit: *Semèl factum servat salutem; si iterùm fiat, potest afferre perniciem. Sic Baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam si repetatur, facit vitæ jacturam... Aqua igitùr sola, & vera illa est, quæ non de loco, non de persona, sed de Trinitate condita est... Non licèt post Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterùm facere*, id est, baptizare. Hæc sanè omnem nebulam circa mentem Optati depellunt, apertèque ostendunt, ipsum libr. 1. eorum tantùm Hæreticorum baptisma rejicere, qui non servant formam.

Nec refert, quòd ibid. aquam Praxeæ, & Patripassianorum vocet mendacem; appellat enim mendacem, non quia non est verum Baptisma, sed quia ob defectum fidei in suscipiente, non confert, ut dicit, vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, & cœlestis Regni comparationem, quam credentis Fides, & Trinitas præstat.

Inst. 1. Optatus intelligit de Hæreticis, de quibus intelligebat Parmenianus; dicit enim l. 1. citato: *Dixisti, apùd Hæreticos dotes Ecclesiæ esse non posse, & rectè dixisti; scimus enim Hæreticorum Ecclesias singulorum esse prostitutas*; atqui Parmenianus intelligebat de omnibus Hæreticis, rebaptizabat enim omnes: ergo. R. Equidèm Optatum intelligere, & fateri omnibus Hæreticis deesse dotes Ecclesiæ, ut dixerat Parmenianus, at non omnibus deesse vera Sacramenta; hoc enim ultimum intelligit sub restrictione de his, qui non servabant formam: *Benè hæc omnia*, inquit ibidèm, *potuerunt ad solos Hæreticos pertinere, qui falsaverunt formam.* Et hoc sufficiebat scopo Optati. Intendit enim in hoc primo libro probare, Parmenianum, rejiciendo Baptisma Schismaticorum, perindè ac Hæreticorum, sua etiam Sacramenta abjecisse, cum Donatistæ essent veri Schismatici. Quasi diceret: benè dixisti, non esse vera Sacramenta apùd Hæreticos, qui falsaverunt formam Sacrameeti; sed malè negas, esse vera Sacramenta apùd Schismaticos, qui servant formam, seu, ut ait, *qui nec possunt novum aliquid, aut aliud agere, nisi quod jam dudùm apùd suam didicerunt matrem.* Alioquin apùd te, id est, apud Donatistas, qui sunt Schismatici, nulla forent Sacramenta; & ideò subjungit: *Satis te miror, frater Parmeniane, cùm Schismaticus sis, Schismaticos Hæreticis voluisse jungere.*

Inst. 2. S. Optatus non minus fidem, quàm invocationem Trinitatis exigit ad validitatem Sacramenti: cùm enim l. 5. distinxisset tres species in celebrando Baptismo, primam in Trinitate, secundam in credente, tertiam in operante, dicit primam, & secundam esse necessariam: ergo. R. Optatum per *fidem credentis* ibi intelligere fidem adulti suscipientis Baptismum, quam existimat esse necessariam, non verò fidem ministrantis: ibi enim expressè distinguit personam operantis, id est, conferentis Baptismum, a persona credentis; & dicit, personam operantis *simili auctoritate esse non posse*, ac invocationem Trinitatis, & fidem credentis, seu suscipientis Sacramentum.

De S. Cyrillo Jerosolymitano.

ILlum inter rebaptizantes quidam numerant, quia in præfatione Catecheseon dicit: *Soli Hæretici rebaptizantur, si quidèm prius illud non erat Baptisma*: & ibi loquitur indistinctè de omnibus. Respondent aliqui, tùnc temporis nondùm inolevisse in aliquibus Ecclesiis Orientalibus morem rebaptizandi Hæreticos, eò quòd non intelligerent, esse per illationem definitum in Concilio Nicæno ratum esse Baptisma Hæreticorum: Cyrillum autèm in Concilio primo Constantinopolitano, cui interfuit, suam priorem deposuisse sententiam, cùm subscripserit Canoni 7. in quo eorum tantùm Hæreticorum baptisma rejicitur, qui formam adulterant. Respondent alii, S. Cyrillum non loqui de omnibus Hæreticis, sed de iis solùm, qui formam non servant: idque probant ex textu græco, in quo non habetur, ut fert versio latina: *Si quidèm priùs illud non erat baptisma*, sed *ubi*, vel *quando priùs illud non erat baptisma.* Hæc enim particula Græca *Epeidè*, inquiunt, non significat *si quidèm*, sed *ubi*, *simùl*, *quandò;* ità ut sensus Cyrilli sit, solos hæreticos rebaptizari, non sempèr; sed quando non conferunt verum Baptisma ob adulteratam formam.

SECTIO VII.

Quodnam Concilium plenarium totius Orbis intellexerit Augustinus, in quo totiès dicit definitam, & terminatam fuisse controversiam de Baptismo Hæreticorum?

SUppono contra paucos, hoc Concilium non esse neque Alexandrinum ann. 362. neque Constantinopolitanum I. ann. 381. neque Capuanum ann. 389. quia Concilium, de quo loquitur Aug. celebratum fuit post mortem Cypriani, & ante nativitatem ipsius Augustini. Posteà tamèn, inquit, l. 2. de Bapt. c. 9. *Dùm inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur* (controversia rebaptizantium) *non solùm inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem roburque producta est, post Cypriani quidèm passionem, sed antequàm nati essemus.* Natus est autèm Augustinus ann. 355. Quæstio itaquè vertitur de Concilio Nicæno I. & de Concilio Arelatensi. Norisius, Bossuetius, Theologi Lovanienses, Nicolai, Natalis Alexander, & alii multi stant pro Concilio Nicæno; Marca, Sirmondus, Launoius, Patres S. Mauri, & alii pro Concilio Arelatensi. In utramque partem disputant Habert, Juenin, Tournely, & quidam alii: adeò difficile est hunc nodum solvere. Verùm, quæ tanta sit utilitas in hujus nodi solutione, ut pro illa tanquàm pro capitali fidei dogmate tàm acri contentione inter se digladientur quidam Auctores, planè non video. Ne tamèn omninò vacuus dimittatur Lector, quod probabilius nobis videtur, contractiori quo poterimus stylo exponemus. Igitur.

Dico: Probabilius videtur, Augustinum Concilium plenarium totius orbis, in quo totiès dicit finitam esse controversiam de Baptismo Hæreticorum, intellexisse Concilium Nicænum I. non Concilium Arelatense. Prob. 1. Concilium, de quo Aug. est plenarium totius orbis Concilium, libr. 1. de Bapt. c. 7. Ex universo orbe Christiano, libr. 2. c. 3. Uuniversæ Ecclesiæ Concilium ibid. c. 9 atqui hæc non conveniunt Concilio Arelatensi, cui adfuerunt Episcopi Occidentis tantùm; convocatum enim fuerat a Constantino, qui tùnc soli Occidenti imperabat, imperante in Oriente Licinio Augusto; neque illi sive per se, sive per suos Legatos præfuit summus Pontifex. Conveniunt autèm Concilio Nicæno I quòd omnium consensu fuit primum generale ex toto orbe Catholico convocatum, & cui præfuit S. Sylvester per suos Legatos: ergo.

Confir. Augustinus Concilium, quod vocat plenarium, & totius orbis, opponit Conciliis Provincialibus, & Nationalibus; atqui Concilium Arelatense fuit Nationale tantùm, nempe Imperii Occidentis, ut dictum est: ergo. Prob. Ant. Aug. libr. 1. de Bapt. c. 7. dicit, quòd circà quæstionem hanc de Bapt. Conciliorum in suis quisque Regionibus diversa statuta nutaverint, donèc plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. Idem libr. 2. c. 3. & 4 ergo. 2. Aug in Epist. 43 aliàs 162. ad Glorium, Eleusium, & Epist. 53. ad Generosum meminit Concilii Arelatensis. at nusquàm illud vocat plenarium, aut universale, aut totius orbis, sed solùm *Judicium Arelatense, judicium aliorum Episcoporum*: & de Constantino dicit: *Alios Episcopos voluit apùd Arelatum judicare*: ergo.

3. Cæcilianus absolutus fuerat a Melchiade Papa in Synodo Romana; ejus causa denuò tractata, & judicata fuerat in Concilio Arelatensi; hæc probè sciebat Aug. qui sæpè appellat judicium Arelatense contra Donatistas. Attamèn dubitat, àn causa Cæciliani, interpellantibus Donatistis, post judicium Melchiadis, iterùm fuerit judicata in aliquo Concilio plenario: ergo non habebat Concilium Arelatense pro Concilio plenario. En verba Aug. Epist. cit 43. aliàs 162. *Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuisse; restabat adhùc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa possit agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrùm fecerint, probent; nos enim non factum esse facile probamus ex eo, quòd totus orbis non eis communicat: aut si factum est, etiam ibi sunt victi; quod ipsa eorum separatio manifestat. Sed tamèn quid posteà fecerint Imperatores litteris sufficientissimè ostenditur. Judices enim Ecclesiasticos tantæ auctoritatis Episcopos, quorum judicio, & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apùd alios Collegas, sed apùd Imperatorem accusare ausi sunt, quòd malè judicarent. Dedit ille aliud Arelatense judicium, aliorum scilicèt Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Ex his evidens est, Aug. dubitasse, àn causa Donatistarum contra ordinationem Cæciliani post judicium Romanum in aliquo Concilio plenario fuerit iterùm judicata, quin potiùs censere, & dicere loco plenarii Concilii datum fuisse a Constantino judicium Arelatense. Idque indè corroboratur, quòd Aug ex separatione Donatistarum ab omnibus Catholicis probet, judicium Melchiadis pro Cæciliano non fuisse rescissum. At, si supposuisset hujusmodi Concilium plenarium, ex eo maximè, & non ex sola separatione Donatistarum, eorum damnationem probasset: ergo manifestum est, Aug. non habuisse Concilium Arelatense pro Concilio plenario. Argumentum videtur peremptorium.

4. In Conc. Nicæno Controversia de Bapt. Hæret. reipsa fuit definita, si non formalitèr, & explicitè, saltèm illativè, & per necessariam consequentiam. Nàm can. *8* recipit Baptisma Novatianorum; Can. 19. rejicit Baptisma Paulianistarum, non alia de causa, quàm quia Novatiani servabant legitimam formam, non Paulianistæ. Ex quo sequitur, Concilium approbare Baptismum quorumcumque Hæreticorum, qui formam Evangelicam adhiberent, & eorum tantùm rejicere, qui illam adulterarent. Ità ipsemet Aug. de hæresibus n. 44. *Istos sanè Paulinianos*, inquit, *baptizandos esse in Ecclesia Catholica, Nicæno Concilio constitutum est. Undè credendum est, eos regulam Baptismatis non tenere, quam secum multi Hæretici, cùm de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.* Hier. in Dialog. contra Lucifer. scribit, *Nicænam Synodum omnes Hæreticos suscepisse, exceptis Pauli Samosateni Discipulis.* Siricius Papa circà ann. 397. in Epist. Decretali ad Gimericum c. 1. ait: *Quos* (Arianos) *nos cum Novatianis Hæreticis, sicùt est in Synodo* (Nicæna) *constitutum per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus*, Et Innocentius I. ineunte sæculo V. Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ c. 5. ait: *De ipsis tantùm* (Paulianistis) *esse præceptum* (a Synodo Nicæna) *ratio ipsa demonstrat.* Adeò vulgatum erat tempore Aug. ex decreto Synodi Nicænæ solos Paulianistas esse rebaptizandos, & non alios Hæreticos, qui legitimam formam retinebant. Nihil ergo obstat, quominùs nomine Concilii plenarii dicamus Aug. intellexisse Concilium Nicænum, cùm id negent Adversarii, maximè quia arbitrantur in eo Concilio controversiam hanc non fuisse definitam.

Obj. 1. Concilium Arelatense fuit plenarium: ergo. Prob. Ant. 1. Fuit *ex diversis, & propè infinitis locis*, ut scribit Constantinus ad Christum Syracusanorum Episcopum. 2. Illi adfuerunt sexcenti Episcopi, ut scribit Ado Viennensis in Chronico. 3. Concilium Arelatense II. can. 18. de I. Concilio Arelat. dicit: *Ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub S. Martini tempore legimus celebratum fuisse Concilium*: ergo. R. 1. Dato Ant. N. Conseq. Non enim quærimus hìc principalitèr, àn Concilium Arelatense fuerit plenarium, sed utrùm Augustinus illud intellexerit, loquendo de Baptismo Hæreticorum. 2. N. Ant. Certò enim constat, Concilium Arelatense non fuisse neque plenarium, neque generale, aut œcumenicum, cùm fuerit convocatum a Constantino, qui tùnc soli Occidenti imperabat, nec ipsi præfuerit summus Pontifex per se, vel per suos Legatos, nec inter Ecclesiæ Concilia generalia numeretur.

Ad 1. Probationem 1. in Græco non habetur *ex infinitis*, sed *ex diversis, quæ necessum non est recensere.* Undè Sirmundus vertit, *ex diversis compluribus.* P. Nicolai *ex indicibilibus.* 2. Esto sit *ex propè infinitis*, scilicèt *ex propè infinitis sui Imperii*, ne cogeretur in una Epistola singulos recensere, & hìc frequens est loquendi modus. Ad 2. dato, 600. Episcopos Arelate convenisse, non ideo probaretur fuisse plenarium totius orbis Concilium; sed N. Ant. Nàm probabiliùs censent, & probant Baronius, Natalis Alex. & alii, fuisse tantùm 200: Et sanè incredibile est longè majorem numerum Episcoporum convenisse ad Synodum Arelatensem, quàm ad Nicænam, quæ, devicto Licinio ex toto orbe congregata est. Igitùr codex Corbeinsis, a quo Ado hausit errorem, corrigendus est ex codice Colbertino, qui fuit olim ipsius Ecclesiæ Arelatensis, & in quo legitur simplicitèr *Cœtus Episcoporum*, non *sexcentorum.* Ad *3.* Patres II. Concilii Arelatensis locuti sunt per exaggerationem, ad commendandam Ecclesiæ Arelatensis dignitatem. Neque enim Patres I Concilii ità sunt locuti in Epist. Synodica ad Sylvestrum, sed dicunt tantùm, *se ex diversis Provinciis advenisse.*

Inst. 1. Quamvis Concilium Arelatense non sit generale, & œcumenicum, potuit tamèn ab Aug. intelligi nomine Concilii plenarii: ergo. Prob. Ant. Aug. agnovit Concilia plenaria, quæ non erant generalia, & œcumenica, sic Concilium Bagaiense Donatistarum vocat plenarium libr. 2. contra Epist. Parmèn. c. 5. & alibi. Similitèr in codice Canonum Ecclesiæ Africanæ idem nomen ei tribuitur, sicùt & Conciliis Nationalibus. R. 1. Dato Ant. N. Conseq. a potentia enim ad actum non benè concluditur affirmando. 2. D. Ant. Aug. agnovit Concilium Bagaiense plenarium simplicitèr, N. Concilium plenarium Donatistarum, C. Et estò vocaverit Concilium plenarium simplicitèr, numquàm tamèn vocavit plenarium totius orbis, aut universæ Ecclesiæ, sicùt vocavit id, de quo agitur. Eædem solutiones adhibendæ sunt codici Canonum Ecclesiæ Africanæ.

Inst. 2. Aug. per Concilium plenarium totius orbis intellexit Arelatense: ergo. Prob. Ant. 1. Serm. 2. in Ps. 32. dicit, Cæcilianum purgatum fuisse, & Donatistas victos *judicio universi terrarum orbis.* Hoc autèm fuit Arelatense. 2. L. 2. de Bapt. c. 8. & *9.* vocat illud Concilium transmarinum, Arelate autèm, non Nicæa respectivè ad Afros est transmarina: ergo. R. N. Ant. ad 1. probat. non dixit Aug. Cæcilianum purgatum, & Donatistas victos *judicio universi terrarum orbis*; sed de Cæciliano dicit; *Purgavit se in transmarino Concilio. Consensit huic judicio universus terrarum orbis.* Audis: Consensit judicio universus terrarum orbis, non judicavit. Ad secundam, N. Min. Nicæa enim respectu Afrorum est etiam transmarina ex ipso Aug. qui libr. 2. contra Crescon. c. 37. dicit, Bithyniam esse Africanis transmarinam; Nicæa autèm est urbs Bithyniæ.

Obj. 2. Si dogma rebaptizantium fuisset Nicæni Concilii Generalis, & Œcumenici decreto proscriptum, id non ignorassent S. Athanasius, qui illi adfuit, S. Basilius, S. Optatus Milevitanus, & S. Epiphanius; atqui ii id ignorarunt: ergo. Prob. Min. S. Athanasius Orat. 2. contra Arian. S. Basilius Ep. 1. & 2. ad Amphilochium, S. Optatus Milevit. libr. 1. contra Parmen. propugnant dogma rebaptizantium, & S. Epiphanius in ex-

expositione Catholicæ fidei, dicit, controversiam de Baptismo Hæreticorum nondùm esse *Synodali judicio decisam* : ergo. Hoc argumentum extollunt Adversarii, sed vitreum est. Nàm R. 1. retorquendo illud. Si dogma rebaptizantium fuisset proscriptum decreto Concilii Arelatensis, quod juxta Adversarios fuit plenarium totius orbis, ex omnibus mundi partibus congregatum, & cui adfuerunt 600. Episcopi, duplo plures quàm Concilio Nicæno, illud non ignorassent laudati Patres; atqui tamèn ignoraverunt in sententia Objicientium: ergo. 2. D. Maj. Si dogma rebaptizantium fuisset Nicæni Concilii generalis decreto proscriptum formalitèr, & explicitè, id non ignorassent laudati Patres, C. si fuisset proscriptum illativè tantùm, N. Maj. & omissa Min. D. Conseq. Ergo non fuit proscriptum decretis Nicænis in mente laudatorum Patrum, Transeat; in mente Aug. N. Cùm enim, ut diximus, hoc dogma in Concilio Nicæno non formalitèr, & explicitè, sed tantùm illativè proscribatur, alitèr de illo potuerunt sentire laudati Patres, alitèr Augustinus, & ipse attenderet ad consequentiam, ad quam alii non attenderent. Hìc autèm quærimus, non principalitèr quid, & quomodò definierit Nicænum Concilium circà Baptisma Hæreticorum, sed quid de illo senserit Aug. Dato ergo, præfatos sanctos Patres censuisse, nihil in dicto Concilio definitum fuisse, non sequitur, quòd ea fuerit Augustini sententia, sicùt, nec fuit Hieronymi, Innocentii, & Siricii, ut patet ex superioribus.

R. 3. De Athanasio, & Optato diximus Sect. præcedenti, eosque ab errore Rebaptizantium vindicavimus. Ad S. Basilium, qui fuit Firmiliani Succesor, non ideò rejecit Baptisma Hæreticorum, quòd ignoraverit Decretum Nicænum; sed quia existimavit illud spectare non fidei dogma, sed disciplinæ variabili secundùm variam Regionum consuetudinem. Ad S. Epiphanium: non dixit, controversiam de Baptismo non esse Synodali judicio decisam, sed non esse *Synodali judicio decisum*, rebaptizandos esse Arianos, proùt quidam Catholici rebaptizabant, quorum ideò temeritatem arguit.

Urgebis tandèm: Si Augustinus censuit, Concilium plenarium, in quo finita fuit controversia de Baptismo Hæreticorum, esse Concilium generale Nicænum, quare illud non nominavit, cùm id maximè profuisset causæ, quam defendebat contra Donatistas? Et ego vicissim quæro, si Augustinus censuit, Concilium plenarium, in quo fuit finita controversia hæc, esse Concilium Arelatense, juxta adversarios, universale totius orbis ex infinitis locis, & omnibus mundi partibus convocatum, quare illud non nominavit, cùm id paritèr suæ causæ profuisset? Non nominavit ergo Concilium Nicænum; quia inter passionem Cypriani, & ipsius Augustini nativitatem erat primum, & unicum Concilium plenarium totius orbis, & universæ Ecclesiæ, quod neminem latebat.

DISSERTATIO VI.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

CIrca subjectum Sacramentorum quatuor quæri possunt 1. Quodnam sit? 2. Utrùm ad integritatem Sacramenti requiratur in eo intentio illud suscipiendi? 3. Quæ dispositio necessaria sit, ut licitè, & cum fructu Sacramenta recipiat? 4. Utrùm indigno petenti liceat ministrare Sacramenta?

Circa 1. nulla est difficultas. Certum est enim 1. solum hominem viatorem de lege ordinaria esse Sacramentorum subjectum; sunt enim instituta a Christo ut media gratiæ, & salutis adipiscendæ; quod competit solis viatoribus, non Beatis indefectibilitèr, nec damnatis irreparabilitèr. Dixi: de lege ordinaria; quia ità instituit Christus. An autèm, si voluisset, Angelos, & Beatos quibusdam Sacramentis subjicere potuiset? Nulla videtur implicantia. Certum est 2. omnem hominem viatorem esse subjectum capax Baptismi Patet ex usu Ecclesiæ, quæ & infantes, & amentes baptizat. Et ratio est; quia Baptismus est absolutæ necessitatis ad salutem. De omnibus enim dixit Christus Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Certum est 3. solum hominem baptizatum esse subjectum capax aliorum Sacramentorum; quia per solum Baptisma homo fit domesticos Dei, & membrum Ecclesiæ; & ità est janua ad alia Ecclesiæ Sacramenta. Certum est 4. non omnem baptizatum esse subjectum capax omnium Sacramentorum: infantes enim, & amentes perpetui non sunt capaces pœnitentiæ; quia hujus Sacramenti materia sunt actus pœnitentis; neque Extremæ-Unctionis institutæ ad delendas reliquias peccatorum actualium; neque Matrimonii, ad quod requiritur consensus deliberatus, cujus sunt incapaces. Sunt autèm capaces Confirmationis, & Eucharistiæ, cùm olim utrumque illis conferretur: itèm masculus Ordinationis; cùm nihil obstet.

Circà tertium, patet ex dictis Dissert. 3. art. 4. §. 2. pro Sacramentis mortuorum requiri saltèm attritionem: pro Sacramentis vivorum statum gratiæ saltèm prudentèr existimatum per confessionem, vel contritionem, ut dixi de Ministro Dissert. 5. art. 5. eadem enim est ratio utriusque: excepto tamèn Sacramento Eucharistiæ, ad quod requiritur confessio. Adeas loca citata.

Restat ergo quæstio de 2. & 4. Primum discutit Auctor infrà q. 68. art. 7. de Baptismo. Secundum q. 80. art. 6. de Eucharistia. Sed quia hæ duæ quæstiones spectant etiam alia Sacramenta, eas hìc examini subjiciendas duxi. Sit itaquè

ARTICULUS I.

An, & quæ intentio in suscipiente Sacramentum requiratur ad ejus integritatem?

DIco 1. Excepta Eucharistia, requiritur ad integritatem Sacramenti in suscipiente intentio interna suscipiendi illud, ut rem in Ecclesia sacram, seu quam solet Ecclesia conferre, ideòque, qui se habet merè passivè, seu ut dicunt neutralitèr, neque volens, neque nolens, à fortiori qui reluctatur, non percipit Sacramentum. Excipio Eucharistiam; quia, cùm consistat in re permanenti, independentèr a quavis intentione, tàm suscipientis, quàm ministrantis, remanet Sacramentum.

Prob. Conclusio auctoritate Conciliorum, sum. Pontificum, & SS. Patrum. Concilium Carthaginense 3. ann. 397. Can. 34. dicit: *Ægrotantes si per se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium hi qui sui sunt periculo proprio dixerunt, baptizentur.* Ubi apertè requirit intentionem suscipiendi Sacramenti. Concilium Arausicanum I ann. 441. Can. 12. sic statuit: *Subitò obmutescens, proùt status ejus est, baptizari, aut pænitentiam accipere potest, si voluntatis, aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu*: ergo idem quod priùs.

Innocentius III. cap. *Majores* de Baptismo, & ejus effectu Extrà. libr. 3. tit. 42. in primis rejicit opinionem eorum, qui dicunt, quòd *Sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus, & Ordo, cæteraque similia* (adverte obitèr, sermonem non esse de solo Baptismo, ut fingit Vanroy) *non solùm dormientibus, & amentibus, sed invitis, & contradicentibus, etsi non quoad rem, quantùm tamèn ad caracterem conferuntur.* Hanc, inquam, opinionem rejicit: *Quia* inquit, *qui fuissent inviti, & reluctantes immersi, saltèm ratione Sacramenti, ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent. Undè ad servandam regulam Christianæ fidei forent rationabilitèr compellendi. Verùm id est Religioni Christianæ contrarium, ut sempèr invitus, & penitùs contradicens ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Deindè definit: *Illum, qui numquàm consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec caracterem suscipere Sacramenti*, &c. Tandèm declarat: *Characterem non suscipere dormientes, & amentes, si, priusquàm amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictionibus persisterent; quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare: secùs autèm, si priùs Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Undè tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare.*

Rituale Romanum Pauli V. vetat, ne Baptismus conferatur ei, *qui usum rationis habuit antè amentiam, & numquàm ostendit voluntatem Baptismi, aut intentionem, aut petitionem illius.*

S. Aug. libr. 4. contra Donat. c. 24. *Si pro eo*, inquit, *qui respondere potest, alius respondet, non itidèm valet* Sacramentum.

S. Thom. infrà q. 68. art. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus; si tamèn hoc non constaret, esset dicendum: si non es baptizatus, ego te baptizo.* Et in corpore ex professò probat, ad validitatem Baptismi requiri intentionem illud suscipiendi. Insupèr q. 45. art. 4. o. *Si aliquis*, inquit, *ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus.* Et in 4. d. 6. q. 1. art. 2. q. 3. *In adultis*, inquit, *& in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur & contritio, sive devotio ad percipiendam rem Sacramenti, & intentio, vel voluntas ad recipiendum Sacramentum. In pueris autèm absquè utroque perficitur, & Sacramentum, & res Sacramenti; & similitèr est in carentibus usu rationis, nisi contraria voluntas habitu insit, non actu.*

Ratio a priori est voluntas Christi sic instituentis Sacramenta; quæ voluntas colligitur ex doctrina, & praxi Ecclesiæ, ut patet ex dictis, & sequentibus rationibus, & congruentiis. 1. Non est verisimile, Christum voluisse de lege ordinaria justificare, filium, ac hæredem suum constituere adultum nequidèm de sua justificatione cogitantem, a fortiori reluctantem. Confer Tract. de gratia Dissert. 6. art. 3. ubi probavimus, hominem adultum non justificari per gratiam, nisi ad eam se disponat per motum liberi arbitrii. 2. Cùm quædam Sacramenta, præsertim Baptismus, & Ordo, ad certum vitæ genus adstringant, & graves oblationes imponant suscipientibus, manifestæ rationi consentaneum est, ut ad id non compellantur nisi volentes. 3. Christus sua Sacramenta instituit, ut humanis actibus perficerentur tàm ex parte suscipientium, quàm ministrantium; ità exigit dignitas Sacramenti, sublimitas finis illius, scilicèt justificatio, & salus hominis; atque ipsius conditio, qui non more brutorum, sed ratione debet regi, & agere, maximè in salutis æternæ negotio; ideòque receptio Sacramenti non secùs ac ejus collatio debet esse humana; & quamvis sit passio, non tamèn coacta, sed voluntaria, ut ait Auctor q. 68. art. 7. cit. ad 1. Hanc autèm intentionem debere esse internam, id est, intentionem suscipiendi rem ut sacram in Ecclesia, seu quod Ecclesia facit, nec sufficere intentionem recipiendi rem profanam, aut simulandi, vel ludendi, est disertè S. Thomæ in supplemento mòx cit. & patet, quia qui intenderet recipere rem profanam, aut simulare, vel ludere, non intenderet recipere Sacramentum.

Dico 2. Hæc intentio requisita in suscipiente ad valorem Sacramenti non debet necessariò esse actualis, nequè propriè virtualis, vi scilicèt cujus moveatur ad suscipiendum Sacramentum, sed sufficit, quòd aliquandò præcesserit, & non sit revocata, ideòque moralitèr perseveret, exceptis Pœnitentia, & Matrimonio. Vocatur a quibusdam intentio interpretativa, ab aliis habitualis: posset etiam dici latè virtualis, quia, licèt, ut dixi, suscipiens vi illius non moveatur ad suscipiendum Sacramentum, ex eo tamèn quòd præcesserit, censetur voluntariæ illud suscipere. Patet Conclusio ex dictis: juxta enim Innocentium III. Paulum V. S. Thom. & Ecclesiæ praxim, amentes, aut alitèr usu rationis carentes baptizantur, si priùs habuerint voluntatem suscipiendi Sacramentum, & illam non revocaverint. Undè non requiritur tanta intentio in suscipiente, ac in ministrante; quia, ut jam notavi superiùs, Minister cum sit agens, debet habere intentionem, quæ sit principium actûs humani, & determinativa ad esse Sacramenti: suscipiens autèm est patiens, etsi voluntarius, & illius intentio non requiritur, ut sit principium actûs humani, & determinativa ad esse Sacramenti, sed tantùm ut dispositio subjecti, & sic sufficit, quod illam aliquandò habuerit, & non retractaverit. Excepi Pœnitentiam, & Matrimonium; quia, cùm in istis Sacramentis actus suscipientium sensibilitèr expressi sint illorum Sacramentorum materia, non sufficit, quòd aliquandò præcesserit voluntas ea suscipiendi, nisi adsint isti actus, ex quibus constituitur Sacramentum. Adde, quod in Matrimonio contrahentes sint Ministri. Undê amens, quamvis ante amentiam habuerit voluntatem confitendi, aut contrahendi, non potest absolvi, aut contrahere, quia non potest ponere actus, ex quibus constituitur Sacramentum, scilicèt, confessionem dolorosam, aut consensum sensibilitèr expressum.

Dico 3. Quantùm ad Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Extremæ-Unctionis, sufficit intentio implicita ea recipiendi, inclusa, puta, in vita Christiana, vel proposito vivendi christianè. Quia hoc ipso quo quis vivit, aut proponit vivere piè, & catholicè, habet implicitè, & sufficientèr intentionem, ut sibi conferantur omnia Sacramenta sibi ad salutem necessaria, aut valdè utilia, qualia sunt assignata. Excludo Pœnitentiam, & Matrimonium propter rationes mòx allatas in præcedenti conclusione: itèm, & Ordinem; quia, cùm non sit ità utilis particulari, & inducat magnum statûs mutationem, gravesque obligationes, nemo potest censeri illud Sacramentum intendere in generali proposito vivendi christianè, nisi de eo aliquandò voluntatem expressam habuerit, aut certè aliquid intendat, in quo includatur intentio Ordinis.

Cæterum pro explicatione utriusque conclusionis observandum est, hanc intentionem habitualem sive explicitam, sive implicitam, suscipiendi Sacramentum, non sufficere, ut in omni casu, & modo suscipiatur, sed tùnc solùm, & eo modo, quo christiano more, & rationabilitèr potest, & debet conferri, ac suscipi, scilicèt, in casu necessitatis, in periculo mortis, in amentia perpetua, vel etiam extra casum necessitatis, sed cum advertentia, & cognitione. Ratio est; quia homo vi suæ primæ intentionis, sive explicitæ, sive implicitæ, non censetur prudentèr velle Sacramenta suscipere nisi tempore, ritu, & modo, quo conferri solent Christianis. Undè, etsi quis ante mensem, vel aliquot dies habuisset intentionem, sive explicitam, sive implicitam, suscipiendi Baptismum, Confirmationem, Ordinem, &c. validè non susciperet in ebrietate, somno, amentia transitoria, ignorantia, &c. nisi fortè ejus intentio expressè se extendisset ad hos casus, tùnc enim validè, sed illicitè susciperet.

Sed quid, si non intendat quidèm expressè Sacramentum suscipere in ebrietate, vel somno; prævidet tamèn se in ebrietate, vel somno baptizandum, confirmandum, ordinandum, &c. & in illa prævisione sola, sine intentione, se inebriat, vel somno dat? R. illum invalidè suscipere Sacramenta. Ratio est; quia intentio indirecta, seu in causa non censetur se extendere ad id, quod sequitur per accidens ad causam liberè positam, nisi cùm tenemur illud vitare, cum tali enim intentione posset subsistere contraria: v. gr. honesta mulier, ob justam causam modesto ornatu procedens in publicum, ex quo prævidet aliquem peccaturum, non censetur ullo modo velle hoc peccatum, sed e contra non vult: censetur tamèn velle, si ob aliquas circumstantias teneretur hoc peccatum vitare in proximo. Undè in casu posito talis homo vellet sufficientèr peccatum irreverentiæ in susceptione Sacramenti; quia tenetur illam vitare: non tamèn censetur sufficientèr velle Sacramentum, quia non tenetur vitare, sed potiùs sumere non quidèm in illo statu, sed benè dispositus. Adde, quòd posset absolutè habere intentionem contrariam susceptioni Sacramenti.

Solvuntur objectiones contra 1. *Conclusionem.*

OBj. 1. plura exempla eorum, qui inviti, & reluctantes, aut saltèm nescientes, ordinati sunt. Inter illa tria sunt notiora, & solutu difficiliora. Primum est Pauliniani fratris S. Hieronymi, de quo S. Epiphanius Ep. inter Hieronymianas 60. nùnc 110. ait: *Ignorantem eum, & nullam penitùs habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens adjuraret nos per nomen Christi, & primùm Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut ministraret.* Alterum exemplum est Bassiani, qui Ep. ad Valentinum, & Marcianum Imperatores, quæ extat act. 11. Conc. Chalced. narrans, quomodo a Memnone Ephesino Antistite fuerat ordinatus Episcopus Evazorum, dicit: *Ego autèm non acquiescebam, sed ab hora tertia usquè ad sextam coràm altari me plagis afflixit, & sanctum Evangelium, & altare sanguine est impletum.* Tertium exemplum est Macedonii Eremitæ in vertice montis, de cujus ordinatione, facta a Flavinio Antiocheno, scribit Theodoretus in Hist. Religiosa c. 13. quòd Flavianus Macedonium *de montis vertice per speciem objectæ accusationis abduxit, & sub mysticum sacrificium altari admovit, cooptavitque in numerum Sacerdotum: cùmque, peracta liturgia, hoc illi quidam indicassent* (ignorabant enim prorsùs quid egissent) *primùm quidèm convitiis, verbisque asperis proscidit universos; deindè, arrepto baculo, quo innixus propter senium incedebat, Pontificem ipsum, & alios, qui aderant, insecutus est.* Proferunt itèm ordinationes Ambrosii, Paulini, Nepotiani, Augustini, & quorumdam aliorum: ergo.

R. duplici modo aliquem dici invitum, & coactum respectu suæ ordinationis. 1. Sìc, ut neque precibus, neque rationibus, neque minis victus unquàm annuit, sed sempèr obluctatur; vel omninò inscius ordinatur; & hujusmodi ordinatio est invalida. 2. modo, sic, ut præ humilitate se indignum reputans, & reverentia erga sacrum Ministerium motus primùm reluctatur, sed tandèm auctoritatis pondere, rationibus, suasionibus, minis victus consentit; & talis validè ordinatur, quia adest sufficiens consensus: & ità in multis contingere, scribit Aug. Ep. ad Donat. 204. nùnc 173. *Multi*, inquit, *ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donèc eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.*

Tales fuerunt Paulinianus, & Bassianus. De Pauliniano enim scribit ipse Epiphanius ibid. *Valdè quippè obtinebatur, indignum se esse contestans: vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, & persuasione mandatorum Dei.* Neque obstat, quod os teneretur, non enim id coactionis, sed potiùs necessarii consensus est argumentum: quia moris erat tùnc, ut, qui juraverat se non suscepturum Ordines, non ordinabatur, ne perjurii reus esset, ut patet ex Basilio Ep. ad Amphiloc. c. 10. Et id timebant, qui os Pauliniani tenebant, *Ne fortè liberari se cupiens*, inquit Epiphan. *adjuraret nos per nomen Christi* Nullum autèm fuisset periculum perjurii, si voluntate nunquam assentiente ordinati fuissent. Idem probat factum Bassiani, ut quid enim tamdiù cæsus, nisi ut tandèm præberet consensum? Talis autèm consensus, licèt sit involuntarius secundum quid, est tamên vo-